Annus XVI. Augustus 1902. N. 8.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA NOVISSIMA

I.

URGELLEN.

R. D. Ioachim Solans, Magister caeremoniarum Cathedralis Urgellen. de consensu proprii Ordinarii sequens dubium Sacrorum Rituum Congregationi humiliter exponit, nimirum:

Anno proxime sequenti 1903, die 15 mensis Maii celebrari debet festum S. Ioannis B. de La Salle, Conf. Attamen in tota Hispania, praefata die festum colitur S. Isidori Agricolae Conf., duplex, civitatis Matriten. Patroni, quin tum ex Bulla Canonizationis huius Sancti cum ex aliis documentis liquido appareat qua die obierit idem S. Isidorus. Notatu dignum est hunc Sanctum, tamquam Patronum coli ab omnibus Hispaniae agricolis, qui egerrime ferrent, perpetuam tanti Patroni translationem. Insuper memorata die 15, Parochi Missam pro populo applicare tenentur, eo quia olim S. Isidorus sub duplici de praecepto celebraretur. Hisce praemissis quaeritur:

Num S. Isidori Agricolae festum, praedicta die 15 Maii celebrandum sit, translato in diem primam liberam S. Ioannis B. de La Salle festo, an vero e contra?

Et S. R. C., referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Atque ita rescripsit. Die 24 Martii 1902.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

ANIMADVERSIONES.

Quum praemissum Decretum decisionibus alias editis contraire videatur, atque exceptionem pro Hispania inductam continere, quam regulam ubique sequendam, inutile non erit super huiusmodi intelligentia Decreti diutius immorari, ut circa *Festorum* sive *Officiorum* occurrentiam regulae firmentur, et sapientia responsionum Apostolicae Sedis in casibus etiam particularibus elucens melius usque prospiciatur.

Nihilominus, antea iuvabit in lectorum mentem revocare varia nomina, quibus appellantur dies Officiorum aut Festorum celebrationi praestituti; quae saepius apud *Ephem. Liturg.* indicata, meruerunt etiam a legitima Auctoritate firmari. In Decreto d. d. 21 Novembris 1893, n. **3811** habentur leges: "**Super duobus Festis vel Officiis eadem die occurrentibus**„ observandae, dies illa vocatur: 1° *Natalitia*, qua Sancti aeternam ingrediuntur vitam; 2° *Quasi-natalitia*, quam Sancta Sedes eligit extra natalitiam ad Festa recolenda; 3° *Assignata*, quae prima post propriam libera fixe in Calendario inscribitur; 4° *Translata*, quae pariter post impeditam prima a Calendariorum Ordinatoribus ad annum libera reperitur.

Advertendum nihilominus pro Sanctis, quorum dies natalitia ignoratur, sequendam esse indicationem Martyrologii Romani vel S. R. C. Decretorum. Quum tamen praesumptio cedere debeat veritati, contingere interdum potest, ut ex irrefragalibus documentis comperiatur, Personam aliquam alia die certius obiisse indubie diversa ab ea, quae per Martyrologium praefinitur; ac praesertim si agatur de Ecclesiis peculiaribus, ubi Sanctus diem extremum clausit; cum indubium appareat ab Ecclesiis particularibus melius quam ab universali servari potuisse certam de obitus die notitiam. Hinc in huiusmodi casibus, licet privato nomine quidpiam immutari prohibeatur, dies tamen Fe-

storum vel Officiorum celebrationi designata haud umquam *natalitia*, sed ad summum *quasi-natalitia* poterit iure nuncupari.

Ac proinde, dies *quasi-natalitia* erit illa, quam Sancta Sedes eligit ad Festum Sancti extra diem suam propriam peragendum. Ipsa vero electio multipliciter effici solet: 1° Ab ipso Romano Pontifice, qui per Bullam Canonizationis vel Beatificationis determinat sedem, ut in ea Sanctus aut Beatus recolatur extra diem suam; 2° Ab ipsa S. R. C. quae eamdem eligit sedem fixam extra diem suam recolendam; 3° Sola Festi vel Officii apud Martyrologium et Breviarium ac Missale Romanum apposita insertione, quamvis peculiare Decretum non accedat diem *quasi-natalitiam* expresse inducens; 4° Ab Episcopo vel alio Superiore Ecclesiastico, qui de licentia Apostolicae Sedis eiusque certis servatis conditionibus, determinat semel et pro semper sedem, ad festum peragendum.

Multiplices vero causae, quae electionem diei *quasi-natalitiae* suadent seligendam inter alias sequentes possunt indicari: 1° Si Sanctus die natalitia recoli nequeat, eo quod occurrat simul cum Festis solemnioribus Ecclesiae universalis, quae nullis Festivitatibus solent postponi; 2° Si Sanctus impediat semper Festum antiquius, licet inferioris ritus, cuius conservatio legitimae Auctoritati nunc vel olim fuerit cordi; 3° Si festum celebretur solemniori ratione, maiorive cum populi concursu, et facilius id fiat extra diem natalitiam.

Neque illud omittere debemus, Festum alicuius sancti non in sua *die natalitia* celebrandum esse, sed in *die quasi-natalitia*, quamvis sit Patronus principalis Loci alicuius vel Titulus Ecclesiae et licet Festum eius ubique vel alicubi ob altiorem ritum non prohibeatur, attentis occurrentiae legibus, in die natalitia celebrari. Hoc fit ex. gr. pro S. Vincentio a Paulo, qui a Congr. Missionis agitur die *quasi-natalitia* 19 Iulii, ritu dupl. 1. classis. Attamen, nonnunquam Apostolica Sedes benigne annuit ut spreta die *quasi natalitia* serius apud Ecclesiam universalem inducta, adhuc Sanctus aliquis die *natalitia* prout antea celebrentur, si rationales adesse causae videantur. Ut ex. gr. fit pro S. Camillo de Lellis, qui apud suos alumnos die 15 Iulii celebratur.

Hisce adnotatis, de occurrentia Festorum S. Ioannis de La Salle et S. Isidori Agricolae nobis sermo est habendus. Dies igitur 15 Maii pro S. Io. Bapt. de La Salle certe uti *natalitia* minime haberi posset, quum Sanctus ille die 7 Aprilis ad aeternam gloriam transmearit; quamvis certe uti *quasi-natalitia* debeat computari, quum in ea Festum eius celebretur ex Decreto S. R. C. d. d. 10 Februarii 1901. Eadem

vero dies 15 Maii pro S. Isidoro, si res levius attingatur, neque tamquam *natalitia* neque ceu *quasi-natalitia* potest aestimari; quum Sanctus vir in ea certe mortem non exceperit, neque in illa apud Martyrologium Romanum ipsius annuntietur Elogium sed potius die 10 Maii eiusdem inseratur memoria per haec verba: *Matriti Sancti Isidori Agricolae, quem miraculis clarum Gregorius XV cum Sanctis Ignatio, Francisco, Teresia et Philippo in Sanctorum numerum retulit.*

Quae cum ita sint, nemini dubium esse poterat, Festum S. Io. Bapt. de La Salle, quod est in die *quasi-natalitia*, praeferendum esse Festo S. Isidori, cuius dies natalitia ignoratur et veluti *quasi-natalitia* apud Martyrologium Romanum dies 10 Maii praestituitur. Perspicua namque sunt verba iam citati Decreti generalis sub n. **3811**, ubi ad rem nostrum statuitur: " III. Si ex duobus Sanctis, quorum alter an-" tiquus alter novus, unus sit in die natalitia aut quasi-natalitia (uti " S. Io. Bapt. de La Salle), alius in die assignata (uti S. Isidorus), seu " non propria aut tamquam propria; ille, ritu, ratione primarii, atque " etiam dignitate posthabitis, praeferatur huic, qui prima die libera " reponendus erit iuxta Rubricas. „ Neque, rigore iuris Liturgici attento, quidpiam officit si S. Isidorus Matriti Patronus olim sub duplici praecepto per universam Hispaniam celebraretur, ita ut nunc adhuc a Parochis Missa pro populo debeat applicari, et Sanctus ipse magna devotione ab Hispanis invocetur; quoniam haec et alia certe nullius roboris ad praeferentiam in occursu perpetuo eidem tribuendam esse videntur, quum neque ritus vel primarii qualitas, vel dignitas insignis, debeant attendi.

Nihilominus S. R. C. suo decreto, quod hic exponimus, dixit antiquum S. Isidori festum, praedicta die 15 Maii celebrandum esse, translato in diem primam liberam S. Io. Bapt. de La Salle festo. Voluitne itaque S. R. C. a rigore recedere in gratiam populi Hispanici, qui S. Isidorum cum solemnitate adhuc celebrant ?

Ita certe aestimare ille debet, qui, ignorata die natali S. Isidori, in animum induxerit, diem 10 Maii ex Martyrologii praescripto esse pro eodem Sancto diem *quasi-natalitiam*. Neque sane multa desiderantur exempla, in quibus Apostolica Sedes ad enutriendam populi erga Sanctos invectam devotionem aliqua liberaliter indulserit, quae cum latis legibus per se nequeant sine iuris dispensatione, componi. Hac autem admissa explicatione, Decretum nostrum privilegium continet, quod in aliis casibus ceu regula generatim nequit inservire, eo quod a iure exorbitet communi, ideoque ad consequentiam minime sit tradendum.

Nihilominus, nos re penitius inspecta, asserimus hoc Decretum in *Urgellensi* minime exceptionem referre, sed potius consectarium esse Decretorum, quae alias edebantur. Enimvero, dies 15 Maii pro S. Isidoro est vere *quasi-natalitia* eidem per Apostolicam Sedem electa, non autem mere *assignata*.

Ac revera apud Bollandistas in Opere " **Acta Sanctorum** „ sub die XV Maii Tom. III, eiusdem mensis (*Comment. prev. n. 10, p. 514*) haec leguntur: " Ad diem cultus quod attinet, is ut fixus esset mense " Maio (die 15) Paulus Quintus decrevit. „

Quum vero dies illa 15 Maii ad celebrandum S. Isidori festum sit Romani Pontificis iussu ordinata, dubitari amplius nequit eamdem diem pro Sancto veraciter *quasi-natalitiam* esse computandam, uti etiam ex definitione talis diei probatur superius ex Decreto generali sub num. **3811** data. Neque ullimode obstat, si S. Isidorus nondum in universali Ecclesia recolatur, quum dies *quasi-natalitia* pro iis etiam Sanctis interdum eligatur, qui alicubi tantum percoluntur; exemplum denique Ecclesiarum rem hanc omnino confirmant, quae si habeant S. Isidorum Agricolam veluti sui Titularem, uti Collegium Fratrum Minorum Hibernorum de Urbe, non alia quam 15 mensis Maii die solent de eo Festivitatem instituere etiam cum subsequenti Octava.

Martyrologii Romani vero exemplum, non magni admodum faciendum esse videtur, quum ex errore potius quam ex iure appositum S. Isidori sub die 10 Maii contineat Elogium. Audiantur quae apud citatos Bollandistas (*ibidem num. 10, pag. 514*) sunt adnotata: " Post- " quam vero die 15 Maii coli hunc Sanctum, etiam prius quam cano- " nizaretur, indulsit Pontifex Paulus Quintus et hunc diem festivum " agit universa Hispania, nequeo concipere quae causa induxerit Ro- " mani Martyrologii recognitores sub Urbano Octavo anno 1630 ut ad " diem 10 Maii haec legenda praescriberent; *Matriti Sancti Isidori* " *Agricolae*, etc. „

" Matriti certe colitur hic Sanctus aeque ac in tota Hispania " die 15 Maii, uti constat ex ordine divinum Officium recitandi, quo- " tannis imprimi solito ... praescribitur in Martyrologio primo loco " ponendum nomen. Interim qui Romae semel irrepsit error, conti- " nuatus est in nova editione anni 1674 iussu Clementis Decimi cu " rata: quod satis fuerit hic monuisse eos, ad quos res ista pertinet. „ Quidquid autem sit de Martyrologii errore, in ponendo S. Isidori sub die 10 Maii, quem errorem cum aliis in Martyrologio etiamnunc exstantibus in nova editione quamprimum agenda emendatum iri non diffidimus; quum dies 15 Maii ad recolendum beati Isidori Festum

sit per Paulum Quintum electa, neque per alias decisiones immutata ipsa utique tamquam *quasi-natalitia* erit merito habenda, quousque aliter per legitimam Auctoritatem decernatur.

Quoniam ergo dies 15 Maii tam pro S. Isidoro quam pro S. Io. Bapt. de La Salle uti dies *quasi-natalitia* debeat computari, liquido colligitur, eadem die Festum S. Isidori retinendum esse, et Officium S. Io. Bapt. ad primam insequentem diem liberam esse reponendum. Decretum namque Generale sub num. 3811 citatum regulam utique servandam iubet, scilicet: de duobus festis, coeteris paribus, *antiquius* et *magis proprium*, sua die celebretur, reposito alia die *novo* et *minus proprio*.

Cum ergo festa S. Isidori et S. Io. Bapt. de La Salle, licet ratione ritus, primarietatis atque dignitatis insignis inter se minime differant: semper tamen discrepant in eo, quod prius ex duobus Festis sit magis proprium, utpote per Hispaniam peculariter celebratum posterius autem, quatenus Ecclesiae concessum universali habeatur minus proprium pro Hispaniae populis: manifeste patet, Festum Sancti Isidori utpote magis proprium et antiquius Officio S. Io. Bapt. de La Salle in aliam hinc fixe reponendo diem liberam debere in occursu iure anteponi.

Fr. Paschalis a Perusia Ord. Min.

II.

MEDIOLANEN.

E.mus et Rev.mus D.nus Andreas Carolus Card. Ferrari Archiepiscopus Mediolanensis Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit:

In Missali Ambrosiano in Missa feriae V in Coena Domini habetur sequens rubrica: " Haec Missa celebratur ab uno tantum Sacerdote in Cathedrali, et in unaquaque Collegiata, Parochiali, vel alia eiusdem generis Ecclesia, non autem in Oratoriis privatis. Et in Ecclesia quidem Cathe-

drali, Collegiatave, praemissis Lectionibus, Orationibus cum Psalmellis contentis in fine Missalis pro eadem quinta Feria, dum cantatur novissimus Psalmellus, Archiepiscopus, seu dignior Sacerdos cum Ministris accedit ad Altare et facit confessionem. etc. „ — Similia habentur in rubrica Missae Sabbati Sancti, in qua tamen non invenitur " Et in Ecclesia quidem Cathedrali, Collegiatave. „ — Mos autem invaluit in nonnullis Ecclesiis paroecialibus vel subsidiariis has Missas legendi loco canendi. Ratio quam afferunt est quod rubrica neque explicite praecipit canendam, cum dicat tantum " celebratur „ neque implicite pro Ecclesiis quae non sint Collegiatae. Hinc idem E.mus Orator ab ipsa Sacra Congregatione expostulavit: Utrum mos legendi dictam Missam tum in Feria V in Coena Domini, tum in Sabbato Sancto in eiusmodi ecclesiis permitti valeat?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis rescribendum censuit: *Attentis Rubricis Missalis Ambrosiani et Memoriali Rituum a Benedicto Papa XIII pro cleri defectu, in ecclesiis minoribus Missam lectam in casu permitti posset.* Atque ita rescripsit. Die 18 Iulii 1902.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

DE QUERETARO.

Hodierni Caeremoniarum Magistri in Ecclesia Cathedrali de Queretaro, Mexicanae Ditionis, summopere cupientes, ut ea quae ad cultum divinum pertinent, rite peragantur, de consensu et approbatione Rev.mi sui Episcopi, quae subsequuntur dubia Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuerunt; nimirum:

I. In omnibus Ecclesiis huius Dioecesis servatur antiqua consuetudo, fidelium venerationi puplice exponendi Ss.mum Sacramentum sive in Missis renovatione, quae cum cantu celebrantur, sive, de licentia Ordinarii, in illis quae solemniter peraguntur occasione alicuius magnae festivitatis, et in eisdem Missis distribuitur Sacra Communio, non obstante expositione, campanulae pulsantur, tum ad *Sanctus* et ad elevationem sacrarum specierum, tum etiam immediate ante distributionem S. Synaxis. Hinc quaeritur: 1. Num continuari possit consuetudo Missas cantandi coram Ss.mo Sacramento palam exposito? 2. Et quatenus affirmative, num S. Communio distribui possit in huiusmodi Missis? 3. Num licita sit pulsatio campanularum?

II. In hac sancta Ecclesia Cathedrali a tempore suae erectionis, diebus solemnibus, immediate ante Missam Conventualem, fit processio intra muros ipsius Ecclesiae cum Reliquia Ss.mi Ligni Crucis D. N. I. C., quae defertur per Canonicum celebran-

tem cum velo humerali; cum vero pervenitur ad altare S. Bernardi, quod est prope Ecclesiae ianuas, celebrans, renibus ad altare versis, populo ostendit sacram reliquiam, quo tempore fit pausatio processionis dum per Chorum canitur prima stropha hymni Vesperarum occurrentis festivitatis: deinde continuatur processio atque ad altare maius depositaque ibidem Sacra Reliquia, canitur Vers. " Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix „ et per celebrantem Oratio " Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis... „ Iamvero quaeritur: An Processio ista modo supra dicto licite continuari possit: et quatenus negative, quomodo peragenda sit?

III. In hac etiam S. Cathedrali Ecclesia iuxta concessionem Romani Pontificis Gregorii XIII die 30 decembris 1573 factam, diebus dominicis, non Canonicus celebrans Missam, sed Sacrista vel Caeremoniarius facit aspersionem aquae benedictae. Usus autem invaluit offerendi singulis Canonicis et Clericis aspergillum ad sumendam manu eorum aquam, deinde, facta populi aspersione praedictus Sacrista vel Caeremoniarius, quin Orationem dicat (haec enim cantatur ab Hebdomadario), redit ad Sacristiam ibique porrigit aquam benedictam, similiter per contactum aspergilli, tam celebranti quam Ministris. Cum vero hic modus videatur adversari Rubricis, quaeritur: 1. Quid sentendum de aspersione Chori per contactum? 2. Quid de cantu Orationis ab Hebdomadario? 3. Quomodo fieri debet aspersio Celebrantis et Ministrorum?

IV. Ex praecepto Concilii III Mexicani omnibus sabbatis per annum canitur in hac sancta Ca-

thedrali Ecclesia, post Completorium Antiphona *Salve Regina* per Canonicum Hebdomadarium, Pluviali indutum, ante altare maius, et deinde recitatur in Choro Matutinum cum Laudibus. Aliquando autem contingere solet, infra Octavam Corporis Christi vel aliis diebus, quod praedicta antiphona cantetur ante Ss.mum Sacramentum publice expositum, quod non reservatur nisi expletis Laudibus: sed cum dubitetur de legitimitate huius praxis, quaeritur: Num servandus sit usus canendi antiphonam *Salve Regina* in altari maiori, quando ibi expositum patet Sanctissimum Sacramentum?

V. Praeter ampullas vini et aquae ponitur etiam super credentiam, in aliquibus Ecclesiis huius Dioecesis pelvis et urceus cum aqua pro manuum lotione in Missis cantatis vel digitorum extremitatibus in privatis, quando Sacerdos dicit psalmus " Lavabo inter innocentes manus... „ hoc autem fit quia aqua quae est in ampulla vitrea frequenter non sufficit ad manus abluendas et Calicis purificationem faciendam, sumpto S. Sanguine, praesertim in Missis cum cantu. Porro cum praedictus pelvis et urceus non sit praescriptus in rubricis Missalis, quaeritur: Num continuari licere possit, vel saltem tolerari praefatus usus?

VI. Altare maius in aliquibus ecclesiis huius Dioecesis extat super cryptam in qua sunt plura cadavera humata, ita ut altare separatum sit a loculis mortuorum tantum per cameram lapideam ipsius cryptae. Quaeritur ergo: An licitum sit in praedictis Altaribus Sacrosanctum Missae Sacrifi-

cium peragere, quamvis in linea recta sub Altari sint cadavera in pavimento cryptae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, re mature perpensa, respondendum esse censuit:

Ad I. Detur Decretum n. 3448 *Societatis Iesu* 11 Maii 1878 ad I et II (1).

Ad II. Processio in casu continuari potest, sed celebrans pluviali indutus deferat Reliquiam S. Crucis D. N. I. C. et cum eadem in reditu tantum ad altare maius populum benedicat iuxta Decretum n. 2324 *Brixien.* 15 Septembris 1736 ad I absque versiculo et Oratione B. M. V., et ad mentem (2).

Ad III. *Quoad primam partem,* aspersio Chori per contactum sustinenda non est, utpote Decretis contraria, praesertim Decreto n. 2013 *Leodien.* 27 Septembris 1698 ad II, III, et IV: *Quoad secundam partem,* Oratio dici debet ante Altare ab eo qui fecit aspersionem, iuxta Decretum n. 1122 *Cusentina* 19 Iulii 1659; et *quoad tertiam partem,* Celebrans et Ministri qui adspersionis tempore in Sacristia sistunt, aspergendi non sunt sed ad ecclesiae ingressum accipiant aquam lustralem.

Ad IV. *Affirmative.*

(1) Citatum decretum 3448 dicit: ad I. *Non licere* (Missam coram SS.) *sine necessitate vel grari causa vel ex speciali indulto,* neque communionem distribuere in missa vel extra missam; ad II. *Negative,* seu non posse agitari campanulam.

(2) Quam enim habent inter se relationem processio cum ligno S. Cruois, et oratio B. M. V.?

Ad V. *Negative* ad utramque partem.

Ad VI. *Affirmative* iuxta Decretum 3460. *Senonen.* 27 Iulii 1878 ad II.

Atque ita rescripsit. Die 18 Iulii 1902.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici Archiep. Laodicen., *Secret.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VIII.

DE FESTO SOLEMNIORI IMPEDITO ET IN SUAM OCTAVAM DIEM REPOSITO.

(Decr. 3853).

Accidit in Ecclesia B. ut dies festus Titularis, nempe S. Dionysii Episcopi et Conf., quod die 8 Maii recolitur, anno 1902 in festum incidat Ascensionis Domini, proindeque impediatur. Cumque dies omnes infra octavam ea in Ecclesia sint impediti, favetne, ut Calendarii Ordinator praedicat, supercitato Decreto, S. Dionysius repositus fuit in diem suam octavam, hoc est in octavam ipsius Ascensionis. Quinimo alia in Ecclesia festum S. Andreae Apost., pariter Titularis, Dominica prima Adventus impeditum, quod per totam suam

octavam locum habere non potuit, super eodem Decreto innixus Calendarii Ordinator, in Dominicam secundam Adventus reposuit. Quae tamen Camillus Caeremoniarum magister reique liturgicae peritissimus, graviter ferens, totis nervis sustinuit id nullo pacto fieri potuisse; ut quamvis eiusmodi ratio literae Decreti inhaerere videatur, cum spiritu eiusdem indubie pugnare dicendum sit. Eapropter studio adiiciens animum sequentia inquirit:

1. *Quaenam sit pro transferendis quibuscumque festis impeditis generalis Rubricarum norma ac ratio? Et quamnam arguere causam liceat peculiaris privilegii, ex Decreto praecitato, concessi?*

2. *Quaenam sit aequa dicti Decreti interpretatio, seu Rubricis, seu aliis eadem in specie privilegiis perpensis?*

3. *Favetne Decretum praedictum praefatis Ordinatoribus Calendarii, an potius Camillo?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Benedicti Aloisi-Masella, **Almi Collegii Capranicensis alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 14 Maii 1902; acta epitome per R.mum Dom.** Calcedonium Mancini, **Academiae Moderatorem.**

1. Quaenam sit pro transferendis quibuscumque festis impeditis generalis Rubricarum norma ac ratio? Et quamnam arguere causam liceat peculiaris privilegii, ex Decreto praecitato, concessi?

Ratio, ob quam canonicum officium alicui diei assignatum, ad alium interdum transferri contingit, in eo est, quod tum sanctum Paschae Resurrectionis festum, non una

eademque die quotannis sit celebrandum, tum, ob unius aut alterius diei, super quinquaginta duarum hebdomadarum numerum, excessum, Dominicae et feriae non eodem quolibet anno inveniantur sede; ex quo fit ut seu festum Paschae, cum aliis festis et officiis, quae illius ordinem sequuntur, seu festa et officia Dominicis et feriis adnexa, aliis sint impedimento. Hinc ea quae dicitur festorum sive officiorum *occurrentia*, quae a P. Al. a Carpo definitur conflictus duorum vel plurium officiorum in unam eademque diem simul incidentium (Bibliotheca Liturgicae, *part. 2, cap. X, n. 147)*. Ideoque, ut dicit clarmus De Herdt: " Officia quae una eademque die facienda seu celebranda sunt dicuntur occurrere, et proinde occurrentia respicit totum diei officium *(Sac. Liturg. Praxis tom. 2, N. 250)*. „

Nunc, si festum utrumque occurrens ius habet ad integrum officium, ita ut de alterutro fieri nequeat, ne penitus omittatur, nec sola commemoratio, necesse est ut alteruter transferatur: " Si ex hisce duobus officiis, ait loco cit. Al. a Carpo, neutrum per solam commemorationem poterit celebrari, tunc exurgit *Translatio* per quam alterum ex iisdem dimittitur donec die quamprimum libera resumatur. „

Sed non omnia et singula transferri queunt festa, quando aliquo anno accidentaliter ab alio officio impediuntur; oportet ergo diversos ritus distinguere, sub quibus festa coluntur, aliaque adiuncta: " Festa duplicia 1 et 2 Classis, omnia duplicia maiora et festa duplicia minora Sanctorum Ecclesiae Doctorum transferuntur (De Herdt *pag. 4, 266)*. „ Non sunt proinde transferibilia festa Sanctorum ritus duplicis minoris, semiduplicis et " festum simplex pariter numquam transfertur *(Rubr. Tit. X, n. 8)*. „ Nec dies octava festorum, nec officia quibus licet ius translationis inhaereat, locus tamen iis non superest usque ad diem 31 Decembris, nec feriae, nec Vigiliae (ex quibus nonnullae anticipantur), transferri valent.

Non est hic locus inquirendi quodnam festum super alio praelationem habere debeat, in casu occurrentiae, sed aliquid dicendum de die in quem, iuxta Rubricas, festum est transferendum. Generalis regula est festa transferri posse in dies liberos; Rubrica namque dicit explicite (*Tit. X, n. 1*): " Si aliquod festum duplex occurrat in dominicis Adventus, Septuagesimae etc. transfertur in primam diem festo duplici vel semiduplici non impeditam, „ in diem scilicet liberam; compertum est enim, quod " dies libera est illa in qua non occurrit perpetuo aliquod officium novem lectionum vel accidentaliter aliqua dominica aut feria maior (*Doct. Piacenza,* apud Ephem. Liturg.). „

Hinc sequitur, iuxta Rubricas, festum alicuius Sancti, etiamsi ritu gaudeat primae classis, non posset transferri in sequentem diem aut in alios, in quibus festum celebratur alterius, etiam ritus semiduplicis. Haec fuit semper norma Rubricarum; quae sane, de festo loquentes ritus duplicis, quae infra octavam occurrunt alicuius Sancti, aiunt transferenda esse in diem primam liberam: " Si aliquod festum duplex infra octavam occurrens alio maiori festo duplici impediatur, transferatur in primam diem similiter non impeditam (*Tit. X, n. 3*). „ Ita pariter in Rubricis, cum sermo sit de festis semiduplicibus aut aliis, quae in perpetuum impediuntur a maioribus festis, statuitur, ea esse transferenda in primam diem liberam: " Festum tamen semiduplex si quotannis ab Officio digniori impediatur, reponitur in prima die libera (Rub. *Tit. X, n. 5*).

Et similiter duplicia translata admittuntur infra octavas communes; ita dies infra octavam Omnium Sanctorum translationem admittunt festorum ritus duplicis, et eodem modo aliae nonnullae octavae translationem admittunt festorum duplicium primae et secundae classis, etc. Imo, si agatur de translatione perpetua, seu de *assignatione,* infra octavas communes, reponi possunt et semiduplicia translata.

Generalis tamen regula est, quod festum alicuius Sancti, quod ius habet ad translationem, et celebrari nequit die sua, reponi debet aut transferri in diem primam liberam. Haec porro generalis regula, normam praebebit ad Decretum S. R. C. interpretandum, die 23 aprilis 1895 emanatum, sub n. **3853,** quod huius est tenoris: "Sacra Rituum Congregatio declarat: Festum duplex habens octavam, quando in die sua celebrari iuxta Rubricam haud valeat et infra totam suam octavam transferri nequeat, transferendum esse in ipsam octavam diem quamvis *in Dominicam incidat;* dummodo non occurrat aliud festum vel ritu, vel primarii qualitate vel dignitate superius; quo in casu S. R. C. iubet ut illud de more transferatur in primam diem liberam iuxta Rubricas. „

Ratio, ob quam S. Congregatio ad ita decernendum provocata est, haec est, quod videlicet octava nihil aliud est nisi ipsius festi ad octo dies continuatio, et proinde singuli octavae dies, nonnisi pro uno eodemque die computantur: " Octava nihil aliud est nisi prorogatio festi, et dies omnes octavae pro una festivitate computantur (Rodulphus Tungrensis, *propos. 19 et 23*). „ Unde hanc ob causam si infra octavam dies aliqua libera remaneat, festum cum octava aliis festis praeferendum est iam translatis, quamvis ritu aut dignitate potioribus: " Si dies non impedita occurrat priusquam octava finem habeat, in repositione praeferendum est (festum cum octava) aliis festis etiam maioris ritus vel dignitatis prius translatis, quae tamen non gaudent octava (De Herdt, *pag. 4, n. 278*). „ Et idcirco merito S. R. C. his legibus innixa, et constanti ecclesiae traditioni, definivit citato Decreto, si festum cum octava celebrari nequit die propria, aut diebus infra octavam, celebrandum esse ipsa die octava: " Festum duplex habens octavam quando in die sua celebrari iuxta Rubricam haud valeat et infra totam suam octavam transferri nequeat, transferendum esse in ipsam octavam diem, „ namque, prout in alio Decreto dicit (diei

2 septembris 1741, n. **2365**), " tota octava nihil aliud est quam extensio ipsius festi. „

Ex his igitur quae diximus duo haec consectaria proveniunt, quod nempe, iuxta generalem regulam, festum aliquod transferri valet ad diem liberam; et quod si infra octavam alicuius festi dies libera occurrat, quatenus festum Sancti nondum celebratum fuit, celebrari debeat illa die. Oportet tamen hoc sedulo animadvertere: " Cum octava nihil aliud sit quam festi continuatio, festum prius debet celebrari et inchoari magisquam continuari (De Herdt, *pag. 4, numero 278*). „ Ex quo concludi debet, octavam alicuius Sancti haud posse celebrari, cum festum ipsum celebratum non fuit.

Hisce positis, supponamus die 2 aprilis, festum S. Francisci de Paula, Patroni civitatis incidere aliquo anno die tertia infra octavam Paschatis, et proinde esse transferendum. Nunc vero, in diem 9 incideret dies octava; attamen, ob expositam rationem, octava celebrari nequit nisi festum iam celebratum sit, hinc habemus quodammodo diem liberam, in quam transferre iure possumus festum S. Francisci, festum namque trasferendum, primam diem liberam occupare debet, iuxta Rubricas. Nemo porro est qui huic doctrinae refragetur, Decreto innixae, ex quo: " Festum duplex habens octavam quando in die sua celebrari iuxta Rubricam haud valeat et infra totam suam octavam transferri nequeat etc. „

Verum, si occurrat die ipsa octava duplex quoddam ritu vel dignitate superius, aut Dominica privilegiata, potestne tunc Patroni festum legitime celebrari? Citato Decreto innixi plures affirmant; alii tamen oppositum sentiunt; hinc ad alterius quaestionis explanationem procedendum:

Non ita facilis responsio. Ex duabus, quae datae sunt, Decreti interpretationibus, unaquaque suis innititur argumentis. Nonnulli autumantur hanc fuisse mentem S. Rituum Cong.nis: quando transferendum est festum ritus dupl. I classis habens octavam in diem ipsam octavam, in

quo occurrat aliqua Dominica praefatum festum isti quoque praevalere etiamsi esset privilegiata secundae classis: alii vero dicunt, S. Congregationem de Dominicis minoribus tantum loqui voluisse. Similiter quoad alteram partem praesumunt primi verba: " dummodo non occurrat aliud festum superius, „ referri debere ad *festum habens octavam:* dum volunt alii referri deberi ad *diem octavam.* Hinc Decretum ita interpretari possumus, ut scilicet: 1° festum quod celebrari sive sua die, sive infra suam octavam non valuit, recoli possit et debeat die ipsa octava, etiamsi incidat *in Dominicam privilegiatam,* saltem nisi occurrat aliud festum ipsi *festo translato* superius; 2° Festum in casu transferri possit et debeat in diem octavam, etiamsi incidat in *Dominicam minorem* infra annum, et nisi octava ipsa dies alio festo potiori impediatur.

Ex hinc duabus interpretandi rationibus, ad diversas devenitur conclusiones, quarum prima iuxta litteram esse videtur; alia vero conformis legibus usque adhuc vigentibus in Sacra Liturgia. Quibus non obstantibus, si Congregatio voluisset secus decernere, apertius edicere debuisset et re sane vera secunda opinione admissa, hoc consequeretur, quod festum impeditum celebrari posset die sua octava, nisi impediretur festo aliquo, ut ait cl. D. Herdt *(L. cit. p. IV, n. 278 pag. 8)* " praeterea ex rubricis compertum est, octavam alicuius festi celebrari semper debere, saltem nisi occurrat aliud officium ritus potioris quo in casu aut octava omittitur aut tantum commemoratur. „ Unde iuxta rubricas, si die 30 novembris festum occurrit S. Andreae Patroni, et die 7 sequenti festum S. Ambrosii titularis, hac die 7 non recoletur octava S. Patroni, sed festum S. Ambrosii, octava poenitus omissa. Et iuxta decretum, sensu Rubricarum interpretatum, festum transferendum celebrandum est die sua octava, dummodo ista libera quodammodo extat, et a nullo alio praepediatur festo vel officio potiori. Sed, cum festum

S. Ambrosii titularis potius sit die octava S. Patroni, celebrandum est S. Ambrosii festum, non autem aliud S. Andreae, quod peculiaribus ex causis recoli die festo non potuit. Et ex opposito, alia ratione decretum interpretando, sequeretur die 7 celebrandum esse festum S. Andreae non vero S. Ambrosii, eo quod *non occurrat aliud festum vel ritu, vel primaria qualitate, vel dignitate superius* **festo translato,** quod esset omnino, ut notavimus, Rubricis contrarium, quae decernunt duplicia I vel II classis cedere tantummodo festis occurrentibus ritus vel dignitatis potioris, sed nunquam festis translatis. Hoc posito, si decretum duas admittit interpretationes, quarum una sit iuxta rubricas, altera contra illas, aequum omnino est, ut magis legi conformi adhaereatur non autem oppositae. Id putamus retinendum esse, eodem prorsus modo, quo fieret circa textum S. Scripturae, quando obscuritate quadam laborat, quo in casu sensus accipiendus est iuxta leges et traditiones. Videtur idcirco, verba illa: " Dummodo non occurrat aliud festum vel ritu vel primaria qualitate, vel dignitate superius „ referre debere ad diem octavam non ad festum ipsum.

Quod decreti partem priorem respicit, Dominicam respicientem: " quamvis in Dominicam incidat, „ breviter observandum est. Qui primam sententiam defendunt illi noto principio inhaerentes: *ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus*, asserunt citato Decreto inclusas debere intelligi et Dominicas privilegiatas II classis. Verumtamen videtur potius, modo considerato dictionis *Dominicae,* et incommodis alias consequentibus, dici debere Decretum intelligendum esse de Dominicis minoribus dumtaxat, uti bene arguunt secundae sententiae fautores.

Constat sane ex Rubricis, Dominicas secundae classis locum cedere tantum festis occurrentibus primae classis, sed non translatis. Unde concludendum est, S. Congregationem si voluisset Decreto includere Dominicas privilegiatas secun-

dae classis, cum hoc sit vel contrarium Rubricis, *explicitam* debuisse de re mentionem facere. Idcirco retinendum est Decretum **3853** intelligi debere *iuxta Rubricas*, ita ut sensus sit:

Festum habens octavam, quando in die sua celebrari iuxta Rubricam haud valeat, et infra totam suam octavam transferri nequeat, transferendum est in ipsam octavam diem quamvis in Dominicam minorem incidat, dummodo non occurrat aliud Festum vel ritu vel primaria qualitate vel dignitate superius ipsa octava; quo in casu S. R. C. iubet ut illud de more transferatur in primam diem liberam.

III. Favetne Decretum praedictum praefatis Ordinatoribus Calendarii, an potius Camillo?

In primo casu, agitur de festo Patroni S. Dionysii, occurrente cum festo Ascensionis Domini, quod consequenter celebrari nequit. Iuxta aliquos recte se gessit Calendarii compilator, qui celebrandum praescripsit festum S. Dionysii die octava Ascensionis, eo quod Festum S. Patroni in se ipso spectatum praevalet diei octavae festi Domini.

Iuxta alios vero, qui verba " dummodo non occurrat aliud festum „ ad octavam diem referunt, et non ad festum ipsum, res aliter procedit, et sic argumentari praecipit: festum habens octavam impeditum infra totam octavam celebrari debet die sua octava, nisi hac die occurrat festum *ipsae octavae superius;* sed octava dies Ascensionis superius est octava die Patroni, et nonnisi duplicibus primae classis occurrentibus cedit, ideo dicta die celebrari nequit festum S. Dionysii.

In altero casu agitur de festo S. Andreae Apostoli, quod cum celebrari nequiverit propria die, ob occurrentiam Dominicae I Adventus, nec infra octavam, translatum fuit a Calendarii compilatore ad octavam diem, videlicet ad II Dominicam Adventus, quae prout omnes norunt, privilegiata est secundae classis. Notum est quippe ex ipsis Rubricis,

secundam Dominicam Adventus locum dare *duplicibus* tantum *primae classis occurrentibus*, non adeo translatis; proindeque, cum nostro in casu non occurrat S. Andreas cum Dominica secunda Adventus, patet, salvis Rubricis, nequivisse Calendarii compilatorem se gerere prout fecit. Sed et Decreto in se inspecto videtur male fuisse operatum, namque, ex communi loquendi ratione cum de Dominicis sermo est *simpliciter* et *sine addito*, intelligi datur non de privilegiatis sed de communibus esse accipiendum infra annum. Praeterea, repetere iuverit, si S. Congregatio derogare Rubricis voluisset, explicitam de hoc mentionem facere debuisset, quod usquedum non faciat, retinere fas est, oportunius interpretationem favore opinionis Camilli esse faciendam.

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI.

(Continuatio n. 7, p. 443)

DECRETUM GENERALE.

Indulti Duplicia 2 classis in dies impeditos transferendi.

" Sacra Rituum Congregatio declarat:

" I. Festa duplicia 2 classis (*a*) diebus suis impedita, si dies liberi pro iis reponendis in decursu anni non suppetant (*b*), licite posse reponi ac debere (*c*) in aliis diebus proximioribus (*d*), quamvis in his festa semiduplicia, in horum defectu duplicia minora (*e*), (non tamen doctoris Ecclesiae)

(*f*) occurrant, quae pro eo anno commemoranda erunt iuxta Rubricas „ (*g*).

" II. In praedictis vero adiunctis (*h*), ut praestantiora officia aliis praeferantur in proximioribus diebus ea esse reponenda, quamvis in his duplicia aut semiduplicia occurrant, haud obstantibus diebus liberis postea subsequentibus, (*i*), in quibus alia officia minus solemnia reponentur, communibus ceterum translationis regulis servatis (*l*); si nihilominus semiduplicia vel duplicia *ad libitum* in Caledariis habeantur, haec prae aliis de praecepto pro repositione seligantur „ (*m*).

" III. Quocumque autem casu, ita Calendariorum ordinatores se gerere debent (*n*), ut in unoquoque mense, nonnullos dies liberos, quantum fieri possit, relinquant pro Missis de Requie celebrandis „ (*o*).

Die 2 Decembris 1891.

(a) Festa duplicia 2 classis. Si duplicia 2 classis huiusmodi privilegio gaudent, occupandi sedem ab alio festo duplici aut semiduplici impeditam, eo magis eodem privilegio frui debent duplicia 1. classis. In hoc autem decreto de his nil dicitur, quia praesumitur rarissime dari impedimentum duplicis 1. classis, cuius translationis non sit locus in fine anni.

(b) dies liberi ... in decursu anni non suppetant. Hoc evenire potest facillime multis in locis de festo s. Thomae Apostoli, quod occurrit die 21 Decembris; cum enim in aliquibus calendariis dies 22, 23 et 30 illius mensis sint occupati a duplicibus inibi perpetuo repositis, quando s. Thomas

impeditur a Dominica IV Adventus, locus non haberetur pro eius celebratione. Nam ex S. R. C. decreto 30 Augusti 1755 n. 2438, translationes non sunt faciendae nisi intra annum communem, qui incipit a die 1. Ianuarii et desinit die 31 Decembris. Ne ergo duplicia classica officium eo anno deperdant, hoc privilegio donata sunt.

(c) licite posse reponi ac debere. Non tantum ergo huiusmodi translatio indulgetur, sed praecipitur; ideoque vim habet verae Rubricae.

(d) in aliis diebus proximioribus... nempe in diebus sequentibus, non praecedentibus. Si enim S. R. C. horum duplicium 2. classis translationem anticipari voluisset, in defectu dierum sequentium, id explicite dixisset; non dixit, ergo in hoc nullimode derogare voluit Rubricis, quae huiusmodi anticipationem numquam admittunt.

(e) quamvis in his festa semiduplicia, in horum defectu duplicia minora.... occurrant. Singulare prorsus est hoc privilegium quod S. R. C. tribuit duplicibus 2 classis impeditis; agitur enim de *officiis* translatis, quae occupare debent diem in qua occurrit *festum natalitium,* ritus semiduplicis, et etiam ritus duplicis minoris. Primum ergo videndum est, an post officium 2 classis transferendum, habeatur aliquod *semiduplex,* et tantum in defectu semiduplicis, tranferendum est in diem a duplici minore occupatam.

(f) ... non tamen doctoris Ecclesiae. Noluit S. R. C. aliquid detrahere honoris doctoribus exhibiti, quibus ius translationis, licet sint *duplicia minora,* ablatum non fuit.

(g) quae pro eo anno commemoranda erunt iuxta Rubricas. Scilicet, in utrisque Vesperis et Laudibus cum IX lectione historica, commemorabitur festum in sua die sic ad ritum simplicem redactum; duplex enim 2 classis huiusmodi commemorationem admittit. Quod si festum translatum sit 1. classis, tunc ex Rubrica, rit. IX, n. 7, nulla in ea fit

commemoratio, et sic eo anno semiduplex aut duplex penitus omittitur.

(h) In praedictis vero adiunctis. Hoc secundo §. Sacra Rit. Cong.tio melius regulam explicare voluit, in praedictis casibus, qui evenire possunt multipliciter. Quia vero aliquando, apud quasdam communitates et dioeceseos, in quibus multa habentur festa classica, et calendarium prorsus festis expletum, dari potest casus quo plura festa classica impediantur, et desint dies ut transferantur, in his adiunctis, en regula sequenda:

(i) ... ut praestantiora officia aliis praeferantur, in proximioribus diebus ea esse reponenda, quamvis in his duplicia aut semiduplicia occurrant, haud obstantibus diebus liberis postea subsequentibus. Licet prima fronte obscura videatur huiusmodi locutio, nihilominus ex contextu clare apparet quid sibi velit S. R. C. Quando plura sint officia classica transferenda, de more *praestantiora*, seu digniora, et nobiliora, prius sunt celebranda, et dein minus digna. Dicit autem decretum, ad collocanda haec officia translata, necesse non esse, ut nobiliora occupent dies liberos in fine anni, ut agantur in dies a semiduplici festo impeditos, sed *non obstantibus diebus liberis subsequentibus* digniora officia reponantur in diebus, qui festis iisdem sunt *proximiores, quamvis in his* diebus *duplicia aut semiduplicia occurant.* Rem melius explicabit exemplum. In calendario ecclesiae Regularium N. anno 1902 haec habebantur festa impedita:

1. **S. Felix** a Cantalicio C. *dup. 2 clas.* e die 20 Maii.
2. **Dedicatio Ecclesiae** *dup. 1 clas.* e 29 Maii.
3. **Ss. Nomen** B. M. V. *dup. mai.* e Dom. infra oct. Nativ.
4. **S. Andreas** Ap. *dup. 2 clas.* e 30 Nov.
5. **S. Ambrosius** Ep. Doct. *dup.* e 7 Dec.
6. **S. Thomas** Ap. *dup. 2 clas.* e 21 Dec.

Cum autem unica supersit libera in calendario dies 30 Decembris, quomodo ordinanda erit horum officiorum translatio? Num Ss. Nomen B. M. V. sedem hanc liberam occupabit, eo quod alia officia classica in dies a semiduplici impeditos transferri possunt? Num in hac die 30, reponetur Dedicatio Ecclesiae, quia est prima libera post eam? Certo certius, nisi haberetur decretum hoc, quod exponimus, in citato exemplo de sex festis transferendis, unius tantum ageretur translatio, nempe nobilioris Dedicationis Ecclesiae, in die 30 Decembris et de ceteris sola commemoratio fieret in suis diebus. Quia vero ex sex festis transferendis, quatuor sunt classica, et ius habent occupandi sedem a semiduplici impeditam, duo vero, nempe Ss. Nomen B. M. et S. Ambrosius, ut patet huiusmodi iure privantur, haec posteriora simplificanda sunt; et alia transferenda.

Cum porro una tantum dies habeatur libera, et quatuor officia transferenda, unum ex his occupabit diem liberam et alia tria diem a semiduplici impeditam; atqui cum decretum dicat *praestantiora officia aliis praeferantur,* et cum dies a semiduplici impediti ex proximioribus primum seligendi sint, en ordo in allato exemplo collocationis translatorum.

Die 10 Iunii, in qua occurrit festum semiduplex S. Margaritae Viduae, agetur: Officium **Dedicationis Ecclesiae,** *dupl. 1 clas.* (f. 29 Mai) sine comm. S. Margaritae. Est enim primum semiduplex post diem 29 Maii.

Die 8 Iulii, in qua occurrit festum semiduplex S. Elisabeth Reg. agetur: Officium **S. Felicis,** a Cantal. *dup. 2 clas.* (f. 20 Maii) cum com. S. Elisabeth.

Die 14 Septembris, in festo **Exaltationis S. Crucis,** fiet com. Ss. Nominis B. M. V. (*dup. mai.* quod superest) omissa com. oct. Nativitatis.

Die 2 Decembris, in qua occurrit festum semiduplex S. Bibianae V. M. agetur: Officium **S. Andreae** Ap., *dup. 2 clas.* (f. 30 Nov.) cum com. S. Bibianae et feriae.

Die 7 Decembris, in officio Dominicae II Adventus fiet commemoratio S. Ambrosii Ep. Doct. (*dup.* quod superest).

Die 30 Decembris, agetur officium **S. Thomae** Ap. *dup. 2 clas.* (f. 21. huius) cum com. Dom. et octavarum.

(l) ... in quibus alia officia minus solemnia reponentur communibus ceterum translationis regulis servatis. Regulae translationis communes igitur observandae sunt; ideoque, selectis diebus a semiduplici, vel duplici, impeditis, ut ibi collocentur officia classica transferenda, quoad cetera servandae sunt Rubricae.

(m) Si nihilominus semiduplicia vel duplicia ad libitum *habeantur, haec prae aliis de praecepto pro repositione seligantur.* Optima et sapiens clausula est haec; cum enim nunc, ob multiplicationem festorum in calendariis, paucae et alicubi nullae habeantur sedes liberae; et cum proinde ad hanc regulam, occupandi festa semiduplicia, vel duplicia, recurrere debuit S. R. C., nisi ex necessitate, et quasi cum dolore hoc fecit. Itaque, si habeantur officia *ad libitum*, haec occupanda sunt, prae officiis de praecepto, ut bona ratio suadet; quod enim praecipitur, in hoc casu, dignius et nobilius officium est, quam illud quod relinquitur *ad libitum*.

(n) Quocumque autem casu ita Calendariorum ordinatores se gerere debent, ut. Hic loquitur decretum de Calendariorum Ordinatoribus, non de Locorum Ordinariis, vel ordinum religiosorum Superioribus. Hoc tamen intelligendum est cum debita praelatis ipsis subiectione, quia redactores calendariorum huiusmodi munere funguntur ex illorum mandato, hinc, quando res disponant iuxta rubricas, iam legem prae oculis habent, quando vero aliquid ad libitum disponere debeant, ut in casu nostro, licet hoc agant ad mentem huiusce decreti, nihilominus mens superioris inquirenda erit pro diebus in casu seligendis.

(o) ut in unoquoque mense nonnullos dies liberos, quantum fieri possit, relinquant pro Missis de Requie celebrandis.

Haec quoque opportunissima regula est. Siquidem, est omnino spiritui ecclesiae conformis, quod pro defunctis missae celebrentur in diebus liberis; hinc dies semiduplices ita distribuendi sunt ut in unoquoque mense aliqui inveniantur. Ergo, Calendarii ordinator, quando dies eligit, in quibus occurrit semiduplex, ut ibi reponat officia classica transferenda, ita se gerat ut mens ista piae matris ecclesiae secundetur.

Aliam regulam, si licet, nos hic suggerere putamus. Quoniam iam diximus, ex decreti huius dispositione *officia* translata occupare debere *festa* occurrentia, licet inferioris ritus, credimus conformius esse menti Ecclesiae, ut in selingendis his officiis semiduplicibus, prius inspiciatur an adsint officia *assignata*, et haec occupentur facilius quam dies in quibus occurrit revera *festum* aliquod. Ratio est, quia officium *assignatum*, iam non agitur in die sua, ac proinde minus aestimatur quam *festum*. Cum autem in § tertio huius decreti, ordinatoribus Calendarii aliquantula libertas relinquatur in electione dierum, videtur non esse contrarium decreto, si eligatur dies a semiduplici assignato impeditus, etsi posterior, quam dies a *festo* semiduplici occupatus, licet proximus. Paulo inferius rationem producemus, qua facilius et cum minore fractione legum festa classica impedita celebrari possint; nunc redeamus ad Rubricas nostras.

Textus.

2. Si in die octava alicuius festi habentis octavam occurrat aliquod festum duplex ex maioribus supra in Rubrica de Commemorationibus enumeratis (383), fiat de festo cum commemoratione diei octavae (384); exceptis die octavae Nativitatis Domini et Epiphaniae in quibus non fit de aliquo

Festo (385), sed transfertur in primam diem similiter non impeditam (386). Si autem non fuerit ex praedictis festis (387), fiat de octava, et festum transferatur (388), aut de eo fiat commemoratio ut supra (389).

(383) *Si in die octava alicuius festi habentis octavam occurrat aliquod festum duplex ex maioribus supra in Rubrica de Commemorationibus enumeratis.* In citata Rubrica, nempe tit. IX, n. 5 et 6, enumerantur festa quae ritu duplici I et II classis recoluntur; igitur si duplex I aut II classis occurrat tam *perpetuo*, quam aliquo anno *accidentaliter* in die octava alicuius festi, fit de eo.

(384) *Fiat de festo cum commemoratione diei octavae.* Rubrica enim nolit quod festa classica cedant diei octavae, ritus duplicis minoris, sunt enim nobiliora et excellentiora; ad eorum ergo praestantiam observandam mavult octavam quodammodo obrumpere, cum simplici commemoratione, potiusquam non celebrare dicta festa in sua die.

Fit autem commemoratio diei octavae, et non eius translatio, non quia ex Brevi *Nullo umquam* abrogata fuerit, haec enim Rubrica sic iam legebatur ante emendationem, sed quia ex natura sua *intransferibilis* est; si transferetur, iam esset nona, decima, etc.

Qua ratione adhuc facienda sit commemoratio diei octavae occurrentis in duplicibus I. classis, vide huius nostrae Expositionis notam 266.

(385) *Exceptis die octava Nativitatis Domini et Epiphaniae in quibus non fit de aliquo festo.* Congruit cum Rubrica huius Tituli n. 1 in quibus dicitur nullum festum agi posse *in die Circumcisionis*, quae est octava Nativitatis, et in *tota octava Epiphaniae* licet sit duplex I classis. Hic tamen, no-

tari etiam poterat dies octava Corporis Christi, in qua non fit de aliquo festo, nisi I classis, ut supra dictum est.

(386) *Sed transfertur in primam diem similiter non impeditam.* Nota hic loqui de octavis Nativitatis et Epiphaniae D. N. I. C.; quae cum fixae sint, impedimentum ponunt *perpetuum* quominus in eis celebretur quodcumque festum. Hinc licet festum impeditum, in casu, esset duplex minus vel semiduplex adhuc transferri deberet.

(387) *Si autem non fuerit ex praedictis festis...* Nempe, si festum occurrens, in aliqua die octava non fuerit ex praedictis duplicibus I vel II classis,....

(388) *...fiat de octava et festum transferatur.* Ita dicebat antiqua Rubrica, quando translationes duplicium minorum et semiduplicium admissae erant. Hodie haec verba inserviunt pro duplicibus maioribus et doctorum Ecclesiae tam in occurrentia *perpetua* quam in *accidentali*, et pro duplicibus minoribus et semiduplicibus inserviunt in impedimento tantum *perpetuo*.

(389) *Aut de eo fiat commemoratio ut supra.* Quod valet pro impedimento accidentali duplicium minorum et semiduplicium; et adiectum est in Rubricarum emendatione. Si enim ex. gr. occurrat in octava Ascensionis *duplex minus* aut *semiduplex*, fit de die octava cum commemoratione occurrentis duplicis aut semiduplicis.

Textus.

3. Si aliquod festum duplex infra octavam occurrens, alio maiori festo duplici impediatur (390), transferatur in primam diem similiter non impe-

ditam, et in eo fiat commemoratio de octava (391). Quod si transferri nequeat, de eodem quoque fiat commemoratio ut supra (392).

(390) *Si aliquod festum duplex infra octavam occurrens alio maiori festo duplici impediatur.* Ista non est regula specialis, ut cuique patet; occurrentia enim duorum duplicium, tam infra quam extra aliquam octavam, eadem lege regitur; ideoque de nobiliori, iuxta ea quae infra dicentur, fit officium, de minus digno fit translatio aut commemoratio ut supra.

(391) *Et in eo fiat commemoratio de octava.* In eo! In quonam autem? in duplici translato, aut in *maiori festo duplici?* Non in duplici translato, quia tranferri potest extra octavam; certo ergo in festo maiori, ita ut sic est accipienda haec Rubrica quasi diceret:

Festum duplex infra octavam occurrens, si impediatur a maiori festo, transfertur, et tunc commemoratio octavae fit in festo maiori impediente. Hic sensus dandus huic Rubricae.

(392) *Quod si transferri nequeat, de eodem quoque fiat commemoratio ut supra.* Haec verba adiecta fuere in ultima Rubricarum emendatione, et intelligenda secundum id quod supra dictum est; ac proinde non tantum in casu agenda est commemoratio octavae, sed de duplici quoque impedito, qui transferri nequeat. Nisi tamen, subintellige, festum impediens fuerit duplex I classis, quia tunc neque de octava, nisi sit ex privilegiatis, neque de duplici simplificato fiet commemoratio. Quod si fuerit II classis, octavae non privilegiatae commemoratio pariter omittenda erit.

TEXTUS.

4. Si in aliis Dominicis a supradictis (393), occurrat Festum Duplex (394) non transfertur, nec de eo fit commemoratio sed officium (395), ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus (396).

(393) *Si in aliis Dominicis a supradictis.* Scilicet in dominicis per annum, quae *aliae* sunt a *supradictis* dominicis I et II classis, de quibus locuta est Rubrica n. 1, huius tituli.

(394) ... *occurrat Festum duplex* ... Quae occurrentia non tantum intelligenda est de festo in sua die natalitia occurrente in dominica per annum, sed et de festo quasi-natalitio, aut etiam de officio *assignato* sive reposito. Quod, licet hoc loco littera Rubricae non dicat, ex eius sensu autem omnino exurgit, et S. R. C. plurimis decretis suis edixit. Sit pro omnibus Decretum d. d. 2 Iulii 1712 in nova collectione n. 2214 in quo respondendum censuit: *Faciendum esse de Officiis de quibus agitur* (nempe perpetuo impeditis) *sub diebus respective perpetuo assignatis, etiam in occursu Dominicae.* Ad effectus enim occurrentiae, dies assignata et dies natalitia, sive quasi-natalitia, iisdem iuribus gaudent.

(395) *nec de eo fit commemoratio sed officium.* Haec verba inducta sunt in emendatione Rubricarum, ad maiorem perspicuitatem; cum enim supra dictum sit, de duplici minori, quod, si transferri non valeat, commemorari debet, hic dicitur, duplex minus in Dominica per annum occurrens non transferri, nec commemorari, quia de eo fieri debet officium.

(396) ... *ut dictum est in Rubrica de commemorationibus.* Nempe Titulo IX, n. 3. Vide notam 236, et confer quae diximus in nota 72.

Textus.

5. Festum semiduplex occurrens diebus supradictis (397), et infra octavam Corporis Christi, et aliis Dominicis per annum, non transfertur (398), sed ipso die quo cadit, de eo fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus (399) et legitur nona lectio historica (400), aut illud penitus omittitur ut supra de Duplici minori dictum est (401). Festum tamen semiduplex, si quotannis ab officio digniori impediatur reponitur in prima die libera tamquam in propria sede perpetuo celebrandum, uti de duplici minori superius cautum est (402).

(397) *Festum semiduplex occurrens diebus supradictis* ... In numeris 1, 2, 3, 4 et 5 huius tituli, actum est de occurrentia festi duplicis, nunc de occurrentia semiduplicis loquitur Rubrica.

... *occurrens diebus supradictis,* illis nempe, hucusque enumeratis, in quibus si de duplici agere nefas est, eo magis de semiduplici, quod est inferioris dignitatis.

(398) *et infra octavam Corporis Christi et aliis Dominicis per annum, non transfertur* ... Ante Rubricarum reformationem semiduplici, etiam *accidentaliter* impedito, dabatur translatio, nunc ut diximus ablata fuit. Quoniam vero infra octavam Corporis Christi ut dicitur in Titulo VII, n. 3. fit tantum de duplicibus occurrentibus, vide nostram notam 187, bene hic dicit Rubrica de semiduplici fieri commemorationem. Item in Dominicis per annum. Quia licet tam officia dominicalia, quam infra octavam Corporis Christi recolantur ritu semiduplici, in obsequium tamen *Dei*

Domini, et octavae solemnitatis Corporis Christi, festum quodcumque Sanctorum semiduplex illis cedit; cum autem hodie iure translationis careat, agitur enim de occurrentia *accidentali,* semiduplex impeditum commemoratur.

(399) *Sed ipso die quo cadit, de eo fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus.* Agitur enim de semiduplici quod sicut duplex, habet primas et secundas Vesperas; ac proinde sicut de Dominica fit commemoratio etiam in 2. Vesperis, ita et de semiduplici ad instar simplicis redacto.

(400) ... *et legitur nona lectio historica.* Semper haec legitur, exceptis Dominicis quae habent IX Responsorium et exceptis diebus infra octavam Corporis Christi iuxta decretum S. R. C. 18 Iunii 1885, n. 3637, ad. V, de hoc vide quae disseruimus in notis 334 et 335 (1).

(401) *aut illud penitus omittitur ut supra de duplici dictum est.* Vide igitur quae diximus in notis 334 et 339.

(402) *Festum tamen semiduplex si quotannis ab officio maiori impediatur* etc. Vide notam 382, quod enim ibi de duplici minore perpetuo impedito dictum est, bene applicari potest semiduplici similiter impedito. Haec verba et quae sequuntur, uti apparet, adiecta fuere in ultima reformatione, ideoque festum licet ritu semiduplici praeditum, si perpetuo impediatur, ius adhuc habet ad repositionem.

(*Continuabitur*) DOCTOR PETRUS PIACENZA.

(1) Adverte tamen quod in illa nota 335, decretum tunc retulimus 14 Maii 1887 in antiqua collectione n. 5985, quo prohibebatur 9 lectio simplicis vel simplificati infra octavas privilegiatas. Quoniam vero nunc tale decretum expunctum sit, pro non scripto id habeatur.

INSTRUCTIO CLEMENTINA

PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM

LATINE REDDITA

NOVISSIMIS APOST. SEDIS DECRETIS AUCTA

BREVIQUE COMMENTARIO ILLUSTRATA

(*Continuatio.* V. num. 7, pag. 444-449)

§ X. Nella sagrestia vi sia l'orologio, almeno a polvere, per sapere il tempo della vicenda; di cui se ne darà il segno ad ogni ora colla campana maggiore, tanto di giorno, che di notte.

§ X. In sacristia sit horologium, saltem pulveritium, ad singulorum adorationis tempus dignoscendum; de quo singulis diei ac noctis horis dabitur signum cum maiori campana (30).

(30) Opportune Cavalerius: " Affigetur itaque in Sacrario tabella, in qua erunt descripta nomina eorum (adoratorum) et horarum, qui et in quibus debent assistere „; ita ordinatim vices succedent adoratorum, cum, horologii et aeris campani monitu, noverint sibi accedendum et recedendum (1).

Aeris campani signum non tantum datur ad vices adorationis designandas, sed et ad devotionem erga Sacramentum excitandam, praesertim vero, ut notum est, ad actus promovendos, quibus Indulgentiae adnexae sunt. Usus Romae invaluit, ut campanae sonitus tot ictibus eliciatur quot horae a medietate noctis, aeque ac diei, numerantur; nil prohibet tamen, quod aliter detur praescriptum signum.

(1) Mirum videbitur, ineunte saeculo XX, verba fieri de " horológio pulveritio „; sed notandum est, S. Rit. Congregationem noluisse vel in minimis immutare textum Instructionis, saeculi XVIII initio conscriptae, uti norunt qui linguam callent italicam.....

*§ XI. La sera avanti il giorno dell'Esposizione, dopo il segno dell'*Ave, Maria, *si suonino le campane solennemente per avviso del popolo, come anche la mattina nel far del giorno; e dopo tutti gli altri dell'*Ave, Maria, *durante l'Esposizione, come parimenti le solite tre volte avanti le Messe solenni.*

§ XI. Pridie expositionis vespere, dato signo pro *Ave, Maria,* ad commonendum populum solemni modo campanae pulsentur; idemque fiat mane sub aurora, et durante expositione, post alia omnia signa salutationis *Ave, Maria*, pariterque triplici vice de more pulsentur ante Missas solemnes (31).

(31) Laudabilis est romanarum Ecclesiarum consuetudo, ut in pervigilio festorum, ad signum salutationis marianae, quod datur de sero, populus fidelis moneatur de insequentis diei solemnitate, quod renovatur summo mane, et festivitate durante, etiam post signum eiusdem salutationis iisdem horis et meridie dari consuetum: hinc praecipitur ut mos iste retineatur pro solemni expositione de qua agimus. Similiter praecipitur ut populus, pro more, festivo campanarum sonitu moneatur de Sacris in triduo solemniter habendis. Haec norma haud praeceptum constituere dicenda est pro Ecclesiis extra Urbem, sed exemplum. Caveatur tamen, semper et ubique, ne signum laetitiae et pietatis convertatur in indignationis argumentum, ex facili in extraordinariis solemnitatibus abusu: in mente, quibus competit, habeant, agi hic de solemnitate maximam animi reverentiam et recollectionem exigente.

§ XII. Nell'Altare, dove sta esposto il SS.mo Sacramento non si celebri altra

§ XII. In Altari, ubi est expositum SS.mum Sacramentum nulla alia ce-

Messa, che le solenni per la Esposizione e Reposizione; nei quali due giorni, oltre la Conventuale (nelle Chiese ove è obbligazione di cantarla) si celebrerà dopo Nona *la Messa del SS.mo Sacramento votiva* pro re gravi: *eccettuate però tutte quelle Domeniche, che sono di prima o seconda classe e tutti li giorni, ne' quali per ragione del Calendario tanto universale, quanto particolare di quella Chiesa, si fa offizio parimenti di prima o seconda classe; come anche eccettuata la feria quarta delle Ceneri, e le ferie seconda, terza e quarta della Settimana Santa, tutti li giorni della Ottava di Pasqua e di Pentecoste, le vigilie del S. Natale e della Pentecoste e l'Ottava dell'Epifania, nelle quali Domeniche, altri giorni e ferie eccettuate si canterà la Messa Conventuale con l'Orazione aggiunta del Sacramento* sub unica conclusione: *e tutto ciò si osserverà inviolabilmente in tutte le Chiese tanto dei Secolari che dei Regolari.*

lebretur Missa, praeter solemnes pro Expositione et Repositione (32). Hisce diebus, praeter Conventualem (in Ecclesiis in quibus datur obligatio eam cantandi), celebretur post *Nonam* Missa SS.mi Sacramenti votiva *pro re gravi* (33): exceptis tamen omnibus Dominicis 1^ae^ aut 2^ae^ classis, et omnibus diebus, in quibus, iuxta calendarium tam universale, quam particulare illius Ecclesiae, in qua fit Expositio, pariter fit officium 1^ae^ aut 2^ae^ classis; item excepta feria IV Cinerum, et feria II, III et IV Maioris Hebdomadae, omnibus diebus per octavas Paschae et Pentecostes, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, atque diebus per octavam Epiphaniae (34); in hisce Dominicis aliisque diebus et feriis exceptis canetur Missa Conventualis cum adiuncta Oratione SS.mi Sacramenti *sub unica conclusione* (35). Quae omnia in omnibus Ecclesiis tum Saecularium tum Regularium servabuntur (36).

(32) Instat *Caeremoniale Episcoporum,* instant Decreta, ne sacrae functiones peragantur ad Altare Sanctissimi Sacramenti, tum praecipue cum solemniter expositum manet; hoc autem in reverentiam in tantum Mysterium, ne mens scilicet adoratorum aliquatenus ab eo aberret, et ne ipsae Caeremoniae aliquatenus detrimentum patiantur: " Valde opportunum est, ut Illud (SS.mum Sacramentum) non collocetur in maiori vel in alio Altari, in quo Episcopus, vel alius solemniter est Missam seu Vesperas celebraturus. Quod si in Altari maiori, vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperiatur, ab eo Altari in aliud omnino transferendum est, ne propterea ritus et ordo caeremoniarum, qui in huiusmodi Missis et Officiis servandus est, turbetur (*Caer. Episc., lib. 1, cap. 12, 8*). „ — " Quod si aliquando contingeret... celebrari, existente SS.mo Sacramento super Altari, quod feria V in Coena Domini... vel cum exponitur Oratio XL Horarum ante Processionem evenire solet; tunc omnes genuflexiones et reverentiae ad unguem observari debent..., et ideo non congruum, sed maxime decens esset, ut in Altari, ubi SS.mum Sacramentum situm est, Missae non celebrarentur, quod antiquitus observatum fuisse videmus; aut saltem celebrans in eo, sive solemnes, sive planas Missas, reverentias et genuflexiones praedictas omnino observare debet (*ibid. 9*). „ — " Non debet celebrari Missa in Altari ubi est expositum SS.mum Sacramentum, nisi sit pro eo reponendo (S. R. C. D. **1421**-*2542*, ad 5, d. 13 Iunii 1671, in *Angelopolitana*). „

Haec tamen regula exceptionem patitur, non utique, expositione durante, quae fit pro Oratione XL horarum, exceptis Missis, quae celebrantur in Expositione et Repositione; hoc autem sive ex immemorabili consuetudine, ut edicitur in una *de Nicaragua,* die 27 Septembris 1864 ad 2, 3 et 4, n. **3124**-*5346;* sive ex apostolica concessione, ut rescriptum fuit in *Nivernen.,* die 25 Septembris 1882, n. **3558**-*5853* ad 1; sive ex necessitate: " Non licere, censuit S. R. C. in

Bononien., die 9 Augusti 1670, n. **1406**-*2508*, celebrari Missas in Altari Cappellae maioris Ecclesiae Confratrum Societatis Boni Iesu Bononiae, exposito in eodem SS.mo Sacramento; stante praesertim, quod adsint alia Altaria, in quibus celebrari possint. „ — " Non licere sine necessitate, vel gravi causa, vel ex speciali indulto, ita magis explicite eadem S. C. die 11 Maii 1878, in una *Societatis Iesu*, n. **3448**-*5728*, ad 1 et 5, *celebrari* Missas coram SS.mo Sacramento publice exposito in Ecclesiis, in quibus non desunt alia Altaria. „

(*Continuabitur*) I. B. M. c. M.

CONSULTATIONES LITURGICAE

I.

QUANDO OFFICIUM DEFUNCTORUM RITU DUPLICI EST CELEBRANDUM, ET UNICA ORATIO IN MISSA DICENDA.

Dubium.

Canonicus Fr. Salomon anno 1752, collegiatae ecclesiae S. Florentii magnos redditus reliquit ad fovendum divinum cultum, voluitque ut pro anima sua unoquoque mense officium cum missa solemniter celebraretur. Quaeritur an, novo iure liturgico inspecto, huiusmodi duodecim officia celebranda sint ritu duplici, et in missa una tantum oratio sit dicenda?

Solutio.

Ad huius quaestionis solutionem sic proceditur.

VIDETUR quod officia huiusmodi a Can. Salomone relicta pro anima sua unoquoque mense, ritu duplici celebrari nequeant: 1. Quia Rubricae generales Breviarii Romani, anno 1897 reformatae (*Tit. 1. n. 1.*) adhuc dicunt: *Officium fit duplex... pro defunctis in commemoratione omnium fidelium defunctorum, et in die obitus defuncti;* ergo eodem ritu duplici celebrari non poterunt officia in casu nostro ordinata.

2. PRAETEREA. S. R. C. in suo decreto (*d. 8 Martii 1738*) ad 3 quaesitum respondit: *Serventur Rubricae Ritualis Romani, et duplicatio antiphonarum praeter diem commemorationis omnium fidelium defunctorum fiat in diebus III, VII, XXX et anniversario tantum;* atqui particula *tantum*, quae est malignae naturae, alios dies excludit, ergo in officiis casus nostri duplicari antiphonae nequibunt, nempe ritu duplici ea celebrari nefas erit.

3. PRAETEREA. Clarissimus P. I. B. De Herdt, qui inter liturgicos scriptores nostri aevi facile princeps ab omnibus habetur, quasi iisdem verbis idem docet et tenet (*S. Liturg. praxis p. 5. n. 36, 6*); cui adstipulatur et alius non parvae notae doctor aetatis nostrae Maugere (*Brev. comment. p. 5, c. 4, 2*); ergo, et Rubricarum commentatores id fieri non posse docent.

4. PRAETEREA. Nemo marte proprio aliquid disponere potest contra leges Breviarii Romani, nisi summus Pontifex, quia, ex bulla S. Pii V, *Quod a nobis* d. d. 7 Iulii 1568, Rubricae ab omnibus et ubique observandae sunt; ergo conditiones in fundatione officiorum, de quibus casus noster, reduci debent applicarique ad tramitem iuris, ea scilicet celebrando ritu semiduplici.

5. PRAETEREA. Si ritu duplici persolvenda forent istiusmodi officia, haec privilegio gauderent ut celebrari possent

in diebus duplicibus, cum missa cantata. Sed hoc privilegio, ex Rubricis et S. R. C. decretis, tantummodo ditantur Commemoratio omnium fidelium, Dies Obitus vel Depositionis, ac dies III, VII, XXX et anniversarius; ergo, nisi explicite a S. Sede obtineatur decretum, aliis, licet solemnibus, officiis applicari non poterit.

Sed contra est, quod decernit Rubrica Missalis anno 1897 reformata, quae sic se habet: *Una tantum oratio dicenda est in Missis omnibus, quae celebrantur in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in missis cantatis, vel lectis permittente ritu, diebus III, VII, XXX et die anniversario alicuius defuncti, nec non quandocumque pro defunctis missa solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondet, uti in officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis late sumptis.*

Respondeo dicendum, quod iuxta leges Ecclesiae Romanae, quandocumque *solemniter* celebratur aliquod officium, agitur sub ritu *duplici,* et in missa unica oratio dicitur, more duplicium. Itaque in Rubricis generalibus Breviarii Romani (*Tit. 1, n. 1*); legitur: *Officium fit duplex... in festis Sanctorum qui apud quasdam Ecclesias,... consueverunt solemniter celebrari.* Nam teste Guyeto (*lib. 2, c. 9, initio*) " In Sanctis particularibus... hoc spectatur maxime, ut quo ii propriori titulo Ecclesiam seu locum quemlibet attingunt, in eo solemniori seu sublimiori ritu celebrantur. „ Hinc ex. gr. quia mea ecclesia insignem reliquiam possidet S. Mauri abbatis, quae a populo honoratur, festum eius agit solemniter, ideoque, licet in Breviario die sua recolatur ritu semiduplici, ego in mea ecclesia absque speciali recursu ad S. Sedem, sed vi decreti S. R. C. 11. Augusti 1691, illud celebro ritu *duplici.* Item si ex fundamentis ecclesiam tu excites S. Pio I. Pont. Mart. dicatam, huius sancti titularis festum ritu duplici, et quidem primae classis, celebrabis in tua nova ecclesia; sine

aliquo speciali decreto S. R. C.; quia *solemniter* agenda est titularis festivitas, ideoque ad ritum *duplicem* ius habet.

Quod ergo dicitur de officiis Sanctorum, debita cum proportione, dicendum est quoque de officiis defunctorum. Quia Commemoratio omnium fidelium defunctorum, et officium in die obitus alicuius, ubique et prout res referet celebrantur *solemniter*, ideo iubet Rubrica ut ipsa ritu *duplici* persolvantur. Igitur quandocumque officium unius vel plurium defunctorum, *solemniter* celebretur, maxime cum concursu cleri et populi, procul dubio ritu *duplici* persolvendum erit. Quod probatur praecipue ex citata Missalis Rubrica, in qua legitur: Unicam tantum orationem dicendam esse, *quandocumque pro defunctis Missa solemniter celebratur*. Atqui, ut bene notat Cavalerius (*tom. 3, c. 2, decr. 8*): " unicitas orationis in Missa ritum duplicem arguit in officio, ergo quando *solemniter* agitur defunctorum officium, ritu duplici eo ipso gaudet. „ Idem decernunt Rubricae speciales Franciscalium (*num. 29*): " In officio defunctorum *duplicantur* Antiphonae . . . et in officiis aliis missam de Requie cum cantu adnexam habentibus, in qua unica adhibeatur oratio. „ Suffragatur etiam usus generalis plurium ecclesiarum et Religiosorum Ordinum, in quibus pluries in anno officia generalia persolvuntur pro defunctis; quae cum *solemniter* agantur, ritu duplici celebrantur. Qui usus, hodie ex reformata rubrica Missalis, quam maxime comprobatur, ubi dicit: unicam orationem in Missa esse dicendam quandocumque pro defunctis Missa solemnis celebretur, *nempe sub ritu qui duplici respondet, ut in officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis late sumptis.* Quod habetur ut exemplum declarativum, non ut dispositio restrictiva. Aliis verbis, *quotiescumque* officium pro defunctis *solemniter* persolvitur, *ritu duplici* celebratur, ut fit ex. gr. in officio post acceptum nuntium, et in anniversario late sumpto, nempe in anniversario quod celebratur extra suam diem. Quapropter,

cum non habeatur ulla prohibitio explicita persolvendi sub ritu duplici officia pro defunctis quae solemniter celebrantur, licet sint extra dies obitus, III, VII, XXX et anniversarium; imo cum ex spiritu Ecclesiae id apprime comprobetur, procul dubio officia in casu nostro a Can. Salomone relicta tuta conscientia, iuxta suam voluntatem, ritu duplici celebrari poterunt.

Ad primum ergo respondeo dicendum: Rubricae generales Breviarii quater reformatae fuerunt, et locus citatus numquam aliquam emendationem passus est. Quod prima fronte difficultatem auget; sicut enim Rubrica Missalis, ubi agitur de unica oratione in missis defunctorum reformata fuit ad tramitem decreti S. C. R. 30 iunii 1896, n. 3920, eadem ratione reformari poterat et hic locus Rubricarum Breviarii Romani. Attamen, licet intacta remanserit haec Rubrica, nil contra nobis ex ea opponi potest. In ea revera adhuc legimus: *Officium fit duplex pro defunctis in Commemoratione omnium fidelium defunctorum, et in die obitus defuncti,* nihilque aliud; nihilominus compertum est omnibus alios haberi dies in quibus officium duplex pro defunctis agi debet. Legamus Rituale Romanum (*Tit. 6, c. 5, n. 1*) ubi dicit: *De officio faciendo in exequiis, absente corpore defuncti, et in die III, VII, XXX et anniversario... dicatur officium mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus et antiphonis duplicatis vel saltem unum nocturnum cum tribus lectionibus et laudibus et missa;* idest: officium agatur ritu duplici etiam diebus III, VII, XXX et anniversario. Ergo hic locus Rubricarum Breviarii, uti iacet, est imperfectus, non omnes casus respicit, nil itaque contra thesim nostram facit.

Ad secundum. Citatum S. R. C. decretum die 8 martii 1738, quo permittitur antiphonarum duplicatio in diebus III, VII, XXX, et anniversario *tantum*, admissa quoque tota malignitate huius vocis *tantum*, bene posset cum aliis componi et explicari; nihilominus hodie non amplius iuvat tempus pro

hac interpretatione terere, cum in nova collectione decretorum illud expunctum fuerit. Nihil ergo et illud contra nos amplius facere potest.

Ad tertium. Negare nemo potest clarissimum De Herdt inter liturgicos aetatis nostrae facile principem fuisse, sed in aliquibus eius opinionibus refragantes vidimus suos etiam discipulos; attamen alios non minoris notae auctores proferre possumus, qui sententiam nostram defendunt. Vide Guyetum omnium celeberrimum, qui (*lib. 4, c. 13, q. 16*) aperte docet antiphonas duplicari in officio defunctorum " et quandocumque *solemniter* dicuntur tres Nocturni. „ Vide Cavalerium (*loco citato*), et recentem A Carpo (*p. 2, n. 4, n. 221*), qui et ipsi, idem docent; ac proinde illos, si opus est, contra De Herdt et Maugere ponimus. Ceterum hi duo scriptores suam procul dubio sententiam docuerunt eodem freti decreto 8 Martii 1738, quod, ut iam diximus, hodie amplius nullam vim habet: quod si adhuc viverent, sententiam huiusmodi certo certius reformarent.

Ad quartum. Nemo, nisi Papa, aliquid contra Rubricas disponere potest, neque episcopus ipse; multoque minus quisque fundator. Testator quidem in limine fundationis apponere potest conditiones quae sint contra leges, dummodo, ab ecclesiastica auctoritate excipiantur (Lotterius *de Bruef.* I, *q. 12, n. 17. et seq.*); nam Ecclesia in plurimum favet testatoribus, quibus contra ius permittit conditiones apponere, ut alliciantur, et non retrahantur a fundationibus (Lambertini). Sed in casu nostro, Can. Salomon officia pro anima sua instituens unoquoque mense *solemniter* celebranda, nihil contra ius liturgicum in sua statuit ultima voluntate. Conditio enim *solemnitatis*, ab ipso apposita in suae fundationis tabulis, nulla ratione Rubricis opponitur. Si ergo iuxta sententiam communem, quam nos hic defendimus, officia defunctorum *solemniter* aguntur quando ritu *duplici* fiunt; et si huiusmodi celebratio sub ritu duplici non contradicit Rubricis

aut S. R. C. decretis, procul dubio conditio a fundatore apposita omnimode observanda erit.

Ad quintum. Certo certius ex plurimis S. R. C. decretis Missa cantata de requiem permittitur, diebus etiam in quibus occurrit festum *duplex*, quando agitur officium in die III, VII, XXX, et anniversaria, ut sileamus de die Obitus, et die Commemorationis omnium Defunctorum, in quibus missae quoque privatae admittuntur. Nihilominus, si bene animadvertant lectores nostri, distingui debet inter officia *privilegiata* pro defunctis, et officia quae pro defunctis ritu *duplici* celebrantur. Siquidem non omnia officia quae pro defunctis ritu *duplici* celebrantur, privilegiata sunt. Dies III, VII, XXX et anniversarius in hoc privilegiati dicuntur, quia in eis Missa de requiem cantari potest, licet occurrat festum duplex. Hoc autem privilegium hodie extenditur quoque ad diem anniversarium late sumptum, et ad diem post acceptum nuntium alicuius obitus, sed non ad alios dies. Hinc si officia a Can. Salomone ecclesiae collegiatae S. Florentii relicta, celebranda forent cum Missa cantata de requiem, licet occurrat festum duplex, tunc revera extenderetur ad ipsa privilegium quod illis non convenit, et hoc fieri nefas esse fatemur, usque dum a S. Sede speciale decretum non obtineatur; sed nos hoc non praetendimus; nihil aliud nos dicimus nisi quod huiusmodi officia celebrari possunt ritu *duplici*, quia testator ea *solemniter* agi constituit. Archipresbiter itaque collegiatae S. Florentii unoquoque mense diem seligat a festo *duplici* non impedito, et in eo officium pro anima Can. Salomonis ritu duplici persolvat. Ita faciendo mentem testatoris bene adimplebit, et in leges liturgicas nulla ratione offendet.

In mense autem, in quo occurrit dies obitus Testatoris, optime tunc poterit officium agi cum Missa cantata, etiamsi occurrat festum *duplex*, quia in casu esset vere dies anniversaria, uti patet. Doct. Petrus Piacenza.

II.

Usus viget in quadam Ecclesia, ex quo, dicto, post *Tantum ergo* absolutum, versu *Panem de caelo*, etc., addatur, ante Orationem de Sacramento, salutatio *Dominus vobiscum*. Quaeritur, num recte id fiat, etenim controvertitur.

Resp. I. Cum de re controversa agatur, in quadam, inquam, Ecclesia, abs re non erit negotium in seipso perpendere. Notamus imprimis, quorumdam fuisse sententiam, *Dominus vobiscum* non esse in casu dicendum, quia frustra fortasse dicitur quod Dominus sit cum adstantibus, si de facto adest in SS. Sacramento coram esse illis. Ita Baruffaldus (*Tit. 8 n. 73).* At hunc iure Meratus carpit, ait Gardellinius *(Instr. Clem. § 31, n. 5),* secus in Missa coram Sanctissimo *Dominus vobiscum* semper omittendus foret. Imo ipsamet Istructio Clementina deberet emendari, quae dictam salutationem praescribit, Sacramento sub throno exposito. Ratio itaque salutationis omittendae, quam Meratus allegat, probatque Gardellinius, est, quia immediate post Orationem de Sacramento benedictio cum eodem Sacramento impertitur adstantibus. Benedictio autem cum Sacramento, docet Cavalerius Merato inhaerens *(Tom 4, Decr. 3, n. 4),* realis est et validior deprecatio, quod Dominus sit cum adstantibus, quum ea quae per vocem exprimitur. Unde regulam generalem inferunt, vocalem deprecationem *Dominus vobiscum* semper omittendam ante Orationem de Sacramento, quando illico sequitur post Orationem ipsa realis deprecatio, hoc est Benedictio cum Sacramento. Hinc et Clementina Instructio in Expositione, quam Benedictio non sequitur, *Dominus vobiscum* ante orationem praescribit, dum in Repositione, quam benedictio sequitur, dictam salutationem non ponit.

Verum omni cum obsequio tantorum scriptorum licet nobis animadvertere, rationem allatam haud plane satisfacere. Et sane, post *Dominus vobiscum* habetur Oratio et post Ora-

tionem benedictio; unde ergo ratio decernitur salutationem esse omittendam eo quod post Orationem benedictio impertitur? Quis vetat quominus ante Orationem de Sacramento imploretur lingua, ut Dominus sit cum adstantibus, ut inde realis et validior habeatur deprecatio per benedictionis actum? Emendicatam huiusmodi rationem iudicamus, et ad rem non facere, cum nihil probet. Veram certamque huiusmodi agendi modi rationem ex officii Liturgia credimus esse accipiendam. Etenim in officio nullus datur casus de commemoratione aliqua agenda, quam versus unicus sequatur, et post eum *Dominus vobiscum* sit dicendum, sed versu expleto, statim dicitur Oratio. " Quando fit aliqua commemoratio, ait Rubrica *(De Commemor. Tit. XXI, n. 9)*, semper dicitur Antiphona ante Orationem cum versu. „ Quid est autem *Tantum ergo etc.* cum sequenti versu et Oratione, nisi quaedam commemorationis species, licet solemnior, ante Sacramentum expositum, flexisque proinde genibus persolvenda? Rationem enim habet, non simplicis laudis, sed et adorationis. Dum e contra, si non unicus, sed plures dicendi sint versus ad instar precum, hae preces in fine semper habent *Domine exaudi*, et *Dominus vobiscum*, inde Orationem. Ab hac ergo in officio recitando consuetudine vigentem consuetudinem de *Dominus vobiscum* in Benedictione omittendo desumptam credimus, quae impraesenti fere universalis evasit, si tamen Ecclesiam fortasse unicam, de qua agimus, excipias.

Unicum casum doctrinae exhibitae non cohaerentem invenies in Rituali Romano ubi ait: " Cum pervenerit ad Ecclesiam (*Sacerdos post administratum Viaticum*), ponit Sacramentum super altari, adorat, deinde dicit: ℣. *Panem de caelo etc.*, ℣. *Dominus vobiscum etc.* „: denique consuetam Orationem ponit de Sacramento. At primo respondemus, Rituale Romanum non unicam praeseferre certo sequendam regulam, cum ex variis hac illac sumptis ritibus coalescat, neque ultimam adhuc acceperit perfectionem, uti ex aliis

exemplis constat Ex. gr. num in illa, regulam a S. R. C. traditam invenies actu perfectam de conclusione Orationum? Haud certe. Satis sit innuere longiorem in Oratione de Sacramento conclusionem, quam ponit post Eucharistiam extra Missam administratam. Quomodo explicas? Dici posset communionem partem Missae constituere, licet extra Missam. Transeat; sed, hoc admisso, alia oritur difficultas super Oratione in eadem communione tempore paschali dicendam, quae brevis est. Ergo ratio allata fallit. Non credimus rem explicari, nisi per mendam, posse. Ex Rituali proinde certam normam accipere non possumus. Insuper cum Baruffaldo responderi posset, *Dominus vobiscum,* post quandam Instructionem sub Clemente Pp. XI ab Urbe missam, ante Orationem de Sacramento administrato Viatico censendum esse sublatum *(Tit. 24, n. 70).*

Hinc, tertio, cum Gardellinio, addere possumus exemplum hoc Ritualis nihili esse faciendum, utpote per posteriora Decreta et Clementinam Instructionem emendatum. " Et quamquam etiam in recentioribus editionibus ea legatur, habenda ea regula perinde est ac si non esset, saltem relate ad Orationem dicendam in Ecclesia ante benedictionem „ (§ XXXI, n. 7). Quidquid ceterum sit, si normam a Liturgia officii velimus accipere et retinere, spectata re in seipsa, concludendum est, in Benedictione cum Sacramento post versum *Panem de caelo, Dominus vobiscum* non esse dicendum.

II. Hucusque exposita opinionem referunt, sed legem non constituit opinio, cui proinde, severe loquendo, nemo adhaerere tenetur. Iam ergo videndum, num lex positiva extet, cui citra controversiam stare unicuique, quorum interest, debet. Verum lex ista datur certa est, pluriesque repetita, ut nemo de illa dubitare valeat. Imprimis notandum est Benedictionem cum Sacramento functionem esse, quae in Caeremoniali episcoporum describitur, si a variis precibus

abstrahas, quae ut plurimum illam praecedant. Ergo eadem functio ad Caeremonialis normam exequenda est, non autem ad uniuscuiusque placitum. At legas, quaeso, dictum codicem, ubi agit de processione in octava corporis Christi, et praecise Lib. II, cap. XXX, n. 27, perspectumque habebis praeter versum *Panem de caelo* nihil aliud esse dicendum, sed statim sequitur Oratio. En textualia, quae ad rem faciunt, verba: " Quo facto, duo cantores cantabunt... *Panem de caelo, etc.* et chorus responsorium *Omne delectamentum etc.* Episcopus surgens.... cantabit Orationem *Deus qui nobis etc.* „ Ubi vides de salutatione populi per *Dominus vobiscum* altum esse silentium; ergo ea est omittenda, cum Rubricis neque demere quidquam liceat, neque addere.

Legem hanc insuper declarant et confirmant Decreta. Magister Caeremoniarum PP. Minorum Provinciae Granatensis a S. R. Congr.ne exquisierat: " An in festo Corporis Christi in reponendo SS.mo servanda sit dispositio Caeremonialis Episcoporum quoad Orationes, vel potius Ritualis Romani, ubi dicitur addi: *Dominus vobiscum etc.?* „ Iam audi responsum: " Servanda est dispositio Caeremonialis Episcoporum. Lib. 2, cap. 33, vers. *Quo facto*, ubi nulla fit mentio de versu *Dominus vobiscum*, sed iubetur, tantum post ℣ *Panem de Caelo etc.* et ℟ *Omne delectamentum etc.* cantari Orationem. Et sic servat in Urbe SS. Dominus N., quod observetur ab omnibus, quidquid alii in contrarium asserant (num. 1265 ad 7). „ Eadem propemodum iterantur verba in alio Decreto num. 1547, quod ait: " Servandum esse Caeremoniale, ubi nulla fit mentio de versu *Dominus vobiscum*, sed iubetur tantum post versum *Panem de Caelo* et ℟ *Omne delectamentum etc.* cantari Orationem.

Scriptorum melioris notae auctoritatem, positiva lege posita, inutile referre iudicamus: certiorem nihilominus reddimus disdicentes, ut sibi persuadeant, res ita et non aliter se habere. Alteri profecto Decretis innituntur, alteri

Caeremoniali Episcoporum, nonnulli Instructioni Clementinae, nonnulli etiam rationi, quam minus concludere superius diximus; at in docendo quid sit agendum, hoc est *Dominus vobiscum,* in casu non esse dicendum, omnes sunt concordes. Sit pro omnibus a Carpo, qui in suo Caeremoniali iuxta Ritum Romanum haec scribit: " Post hymnum a cantoribus genuflexis subditur *℣ Panem de caelo.* cui tempore paschali, atque infra octavam Corporis Christi, additur *Alleluia,* a celebrante vero stante, quin praemittat *Dominus vobiscum,* dicitur Oratio *Deus, qui nobis* (Pars III, n. 190).

Ergo concludimus: seu res in se consideretur, seu relative ad legem, seu quod auctoritatem, spectat, certum est exploratumque, in benedictione cum Sacramento, ante Orationem *Deus, qui nobis* post versum *Panem de caelo etc.* suumque responsorium, non esse dicendum, sed prorsus omittendum *Dominus vobiscum.*

C. M.

AD QUAEDAM DUBIA LITURGICA

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Catana.* An diebus III, VII, XXX et Anniversario alicuius defuncti, si dicatur unum tantum nocturnum, omitti debeat Invitatorium?

R. Si attendendae stricte essent Rubricae Breviarii et Ritualis, Invitatorium, in officio defunctorum, dici deberet tantummodo quando tres dicuntur nocturni, et in die obitus licet dicatur primum tantum. *Si vero ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, . . officium cum 3 Nocturnis dici non potest, . . . dicatur saltem primum. . . incipiendo ab invitatorio* (Rit. Rom. *Tit. VI, c. 3, n. 16*).

Hinc, duae sententiae promanarunt. Prima docebat quod extra diem obitus, si unum nocturnum diceretur, licet solemniter, omitti semper debuerit Invitatorium. Quod sancitum fuit a S. R. C. decreto *31 Maii 1817 (n. 2578 ad 12)* in quo dicitur: *servari posse consuetudinem recitandi unum dumtaxat Nocturnum*, in die Anniversaria, *sed sine invitatorio.*

Secunda vero sententia, in praxi sic argumentabatur: Licet Rubrica Breviarii duplicari antiphonas non permittat nisi in Commemoratione omnium fidelium, et in die obitus, nihilominus, supplendo ex Rituali, duplicantur quoque in diebus III, VII, et XXX ac anniversario; scilicet hisce in diebus celebratur solemniter ritu duplici sicut in die obitus. Atqui in hac die obitus permittit Rubrica Ritualis ut dicatur invitatorium cum primo tantum nocturno, ergo et in diebus III, VII, XXX et anniversario. Sic in praxi multis in locis agebatur, et adhuc in Urbe fit passim in anniversariis solemnibus. Quae praxis videretur approbata fuisse a S. R. C. decreto 21 Februarii 1896 n. 3885 ad 5, si attendendus esset Index decretorum pag. 247.

Ibi enim legimus: *Invitatorium et I Nocturnum cum Laudibus ex consuetudine semper decantari potest in officiis defunctorum, quae peraguntur cum aliqua solemnitate praesertim diebus obitus et anniversarii, iuxta Rubricas Breviarii et Ritualis Romani.* Si vero legimus citatum decretum ad 5, quaesitum quo quaerebatur, an servari posset dicta consuetudo, S. R. C. non dixit: *servari posse*, bene vero: *Serventur Rubricae Ritualis et Breviarii Romani.*

Cum autem, ut vidimus, Rubricae invitatorium cum unico nocturno non permittant nisi in die obitus, et cum in authentica nova collectione Decretorum adhuc servatum sit citatum decretum n. 2578, hanc limitationem admittens, dicendum foret, haud feliciter in Indice, compendifactum fuisse decretum n. 3885.

Nihilominus, cum Romae, audiente et silente S. R. Con-

gregatione, passim agantur anniversaria, cum invitatorio et primo tantum nocturno, dicendum est, voluisse S. R. C. in Indice decretorum a se adprobato, melius quam in decreto mentem suam exponere; quam ob rem saltem iis in locis ubi viget consuetudo, sub almae Urbis exemplo, credimus eam non esse abrogandam.

D. P. P.

II. *Pro pluribus locis.* In variis S. R. C. decretis, et maxime in illo die 19 maii 1896, n. 3903, *Aucto*, etc., decernitur non posse celebrari missas privatas pro defuncto in die obitus, in duplicibus I classis, in diebus duplicia I classis impedientibus, et in festis de praecepto. Num in festis de praecepto veniunt quoque festa SS. Apostolorum, licet hodie suppressa sint?

R. Si *litteraliter* excipiantur decreta, videretur quod festa *suppressa* non comprehenduntur in diebus sic exceptis; quia *erant* quidem aliquando de praecepto, nunc vero non sunt amplius; ergo...

Nihilominus propter duo nos credimus festa suppressa vim habere impediendi missas lectas pro defunctis.

1. Quia in decretis, quibus Summi Pontifices numerum festorum *de praecepto* reduxerunt, edicitur (vide decret. Pii Pp. IX 6 sept. 1853): *Ex hac festorum dierum imminutione nihil innovatum volumus ac mandamus circa sacram liturgiam in Ecclesiis servandam; atque idcirco memoratis diebus tum Chori servitium et Missarum celebrationes, tum aliae ecclesiasticae functiones erunt, velut antea, peragendae.* Hinc iis in diebus adhuc parochi missam *pro populo* debent celebrare. Quam ob rem, si festa *suppressa* nihil amittere debent de iis quae iure liturgico ad ea spectant, si proinde, excepto vinculo observantiae quoad missam audiendam a populo, et abstinendi ab operibus servilibus, adhuc sunt vere *festa de praecepto,* plane sequitur ea adhuc comprehendi inter illa, in quibus nefas est celebrare missam privatam de requie.

2. In citato decreto *Aucto*, quasi *praemissa* haec verba leguntur: *Aucto postremis hisce temporibus... maxime in Calendariis particularibus, officiorum duplicium numero, quum pauci supersint per annum dies, qui missas privatas de requie fieri permittant, etc., etc.* Ex quibus praemissis videtur mentem fuisse S. Matris Ecclesiae aliquantulum moderare antiquum rigorem, concedendo scilicet ut missae privatae pro defuncto in die obitus, dici possent non tantum in diebus *semiduplicibus*, sed etiam in *duplicibus minoribus*, et ad summum etiam *maioribus*. Horum enim numerus, a tempore Pii V usque ad nos, revera enormiter in calendariis particularibus auctus est. Videtur ergo, in his praemissis non contineri duplicia I et II classis, et multo minus festa de praecepto, licet nunc suppressa. Quibus ex causis procul dubio censemus in diebus huiusmodi non posse dictas missas privatas celebrare.

Haec nostra sententia, quam docuimus iam ab anno 1898, cum summo gaudio Romae videtur excepta fuisse in praxi. Die enim 25 iulii p. p. dum in ecclesia S. Laurentii in Lucina agebantur solemnissime parentalia pro Eminentissimo Cardinali Miecislao Ledochowski, in die depositionis et praesente cadavere, adstante Collegio Patrum purpuratorum et tota Romana Curia, una missa cantata fuit de requie, et caeterae omnes, quae plurimae fuerunt etiam tempore missae solemnis, de S. Iacobo Apostolo lectae sunt, in paramentis rubris. Ergo.

D. P. P.

III. *Pro Derthona.* In die S. Marci ac in triduo Rogationum, in Ecclesiis ubi una tantum missa celebratur, si fiat Processio, missa erit de Rogationibus cum commemoratione occurrentis, *cum praefatione paschali.*

IV. *Pro Utino.* In ecclesia unica, seu cappella, quae habetur in medio Coemeterii, missae *de requie* celebrari possunt omnibus diebus in decreto *Aucto* indicatis. Non enim necessarium est ad legitimum privilegiorum usum quae in

dicto decreto continentur, ut in unoquoque sepulcreto habeatur altare, pro quo, inservit illud in ecclesia unica erectum.

V. *Pro Verona.* Si in tua Ecclesia habes notabiles et insignes Reliquias vel Corpora Sanctorum tunc festum Reliquiarum est *locale,* et non tantum Ordinis, ac proinde in casu impedimenti perpetui officium Reliquiarum die 29 octobris, ut dicis, persolves. Si vero non habes has Reliquias saltem notabiles tunc officium est *ordinis,* et tunc non habetur ratio cur transferatur.

VI. *Pro Neapoli: a*) Exorcismus contra tempestates, qui sub nomine S. Pii V venit, incipiens: *Domine Iesu ✠ qui manus et pedes...* et desinens: *Laus Deo ✠ Gloria Sanctis ✠ Pax mihi ✠ et omnibus, amen,* non est adprobatus, ideoque neque privatim utendus est (Sacr. Rit. Cong. 23 Mai 1835, n. 2735, ad 9).

b) Ante SS. Sacramentum expositum optandum esset quod preces omnes ad illum dirigerentur (Vide *Ephem. Lit.,* mensis Iunii huius anni, pag. 400). Aliae preces B. Mariae vel Sanctis illis exibeantur antequam SS. Sacramentum e Tabernaculo extrahatur. Ad hunc finem brevi suprema auctoritas nonnulla declarabit, ut abusus sensim sine sensu oborti tollantur;

c) Rubrica Martyrologii decernit: *Festa de quibus eo die fit officium semper primo loco ponuntur.* Editio Martyrologii ultima, quoad elogium S. Io. Bapt. de la Salle, tam die 15 maii quam die 7 aprilis non respondet dispositionibus Rubricae, ideoque etiam in nonnullis aliis diebus non est sequenda;

d) Apud Patres Camaldulenses, quando commemoratio omnium fratrum defunctorum, die 14 novembris occurrit in dominica, celebrari debet die 17, quia die 15 est duplex I classis et 16 duplex II classis in eorum Calendario. *Ephem. Lit.,* mense aprili huius anni, pag. 267, non docue-

runt huiusmodi commemorationem defunctorum solemnem fieri posse in duplici I classis. Attentius legas.

VII. *Pro Fano.* Quia S. Paterniani Patroni Fanensis festum natalitium, die 13 nov., celebratur sub ritu duplici I classis cum octava sed sine feriatione, qua decoratur Translatio eiusdem S. Paterniani Patroni die 10 iulii, licet ritu II classis, Regulares hac die festum S. Paterniani agere debent et non die 13 novembris. Ratio est quia Ordines religiosi tenentur ad *omnia officia dioecesis de praecepto quoad forum* (S. R. C. 28 aprilis 1866, n. 3147), et clarius: *Regulares tenentur ad celebranda patronorum festa quae cum feriatione recoluntur* (S. R. C. 10 iulii 1896, n. 3925, dub. 3, quaes. 4);

Ita Regii Lepidi, regulares celebrant festum Translationis S. Prosperi dioeceseos patroni, quia recolitur ibi cum feriatione, et nil die 25 iunii de eo agunt, licet in dioecesi celebretur natale ipsius, duplex I classis, sine tamen feriatione.

In casu autem Translatio S. Paterniani naturam *festi secundarii* non amittit, neque pro clero dioecesano Fanensi, neque pro regularibus in Fanensi dioecesi degentibus.

D. P. P.

DECLARATIO.

In *Ephemer. Liturg.* mensis Maii elapsi n. 5. pag. 340 ad 2. quaesitum pro *Rucupis*, responsum est, missam post Benedictionem novae Ecclesiae dicendam esse *de tempore vel de Sancto iuxta occurrentiam*, citando Rubricam ritualis. Hoc quoque docet cl. De Herdt (*P. 6, n. 42*) " Missa dicitur de tempore vel de Sancto uti praescribit Rituale Romanum, scilicet de tempore vel de Sancto de quo fit officium. "

Nihilominus S. R. C. suo decreto die 23 Februarii 1884, n. 3605 ad dub. 2, respondit, Missam in casu dicendam esse de Sancto in cuius honorem Ecclesia *dedicatur*. Quod cohaeret cum Rubrica Pontificalis Romani in fine Benedictionis et Impositionis primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda: *His expletis, si velit, parat se ad celebrandam Missam in dicto loco de Sancto in cuius nomine Ecclesia fundata est.*

Res ergo hodie a S. R. C. determinata esset omnino, et ideo reformanda esset quoque responsio a coadiutore nostro in *Ephem. Liturg.* loc. cit. data. Ipse autem ait rem non adhuc clariorem esse, quia in dubio II allati decreti quaeritur, non de Ecclesia benedicta, sed de Ecclesia *dedicata;* dicit enim: *de quo sancto erit haec Missa? de sancto occurrente; an de sancto in cuius honorem* **dedicatur** *Ecclesia?*

Nos tamen contendimus non esse insistendum in hac aequivocatione, agitur enim evidenter *de benedictione novae Ecclesiae,* in dubio II, sicut in I, agitur de *benedictione primarii lapidis,* ergo nullum adest dubium pro intelligentia huius decreti. Hinc reformanda erit solutio nostri Coadiutoris.

A. P. P.

SOLUTIO QUAESTIONIS

PRO MENSE AUGUSTO PROPOSITAE

PROPOSITIO.

Utrum Episcopo Ordinario praesente in Choro debeantur Clero consuetae reverentiae?

SOLUTIO.

In *Praxi Pontificali* clarissimi De Herdt huiuscemodi quaestionis datur solutio, ibi enim *(lib. 1, c. 18, n. 154)* haec leguntur:

" An chori salutatio facienda est, praesente Episcopo? Cum hoc Capite (*Coerem.*) n. 4 dicatur: *Facit reverentiam profundam altari et Episcopo, deinde salutat Canonicos et alios;* sequitur salutationes consuetas in ingressu et egressu esse faciendas: aliae tamen per decursum missae et officii salutationes omittendae videntur, ut colligitur ex caeremoniali lib. 2, c. 5, n. 5 et 6 et c. 8, n. 40, ubi solae reverentiae Altari et Episcopo faciendae praescribuntur, cum contra in casu simili c. 6, n. 12 et 14, absente Episcopo, reverentia choro exhibenda expresse notatur. „

Ut quisque ex lectoribus nostris iam intellexit, praeclarus expositor hic non docet tutus et firmus in sua sententia, sed aliquam habet formidinem in contrarium. Exponens vero loco citato, iam explicite sic docet: (*lib. 2, c. 5, n. 5, nota c.*) " Choro non fit reverentia propter praesentiam Episcopi. „ Hic agitur de Canonico cantaturo lectionem in matutino solemni officiante Episcopo. Item (*lib. 2, c. 8, n. 40, nota a*): "Subdiaconus (cantaturus Epistolam) accipit librum... et facit reverentias debitas Altari et Episcopo, non autem choro. „ Et revera in utroque loco Caeremonialis nulla fit mentio reverentiae choro faciendae. Quid ergo? Statim nostrum sentiendi modum in medio proferimus.

Ante omnia notandum est, leges generales circa reverentias haberi in Caeremoniali lib. 1, c. 18, n. 4, ubi legimus: *Si autem quispiam Canonicus superveniat inchoato iam Officio, vel Missa, absque eo, ut aliquos salutet, vel ab aliis salutetur, statim genuflectit versus altare, parumper orans: mox surgit et facit reverentiam profundam altari et Episcopo; deinde salutat Canonicos et alios de Choro circumstantes...*

Si praesente Episcopo chorus non esset salutandus, Caeremoniale explicite hoc suo loco id dixisset; sed imo *salutandos* esse *canonicos* post Episcopum, *et alios de choro* clarissime praecipit.

Ponenda ergo sunt principia, ex quibus ritus aliquis

exequendus est; quibus positis principiis omnes quaestiones facile dirimuntur. Clare hic patet, Clero deberi consuetas salutationes licet sit praesens Episcopus Ordinarius; praxis item universalis id suadet, ergo nescimus cur clarissimus De Herdt, agens de canonico cantaturo lectionem in matutino solemni notare potuit: " Choro non fit reverentia propter praesentiam Episcopi. „ Verum quidem est, eo in loco Caeremoniale explicite non dicit salutandum esse clerum, sicut ex. gr. non dicit (*lib. 2, c. 1, n. 7.*), sed haec omissio explicari potest, vel quia aliquando Caeremoniale supponit Chorum esse post Altare, et Episcopum ante ipsum, vel uti omnes etiam Caeremoniarum Magistri almae Urbis confitentur, quia Caeremoniale Romanum ponit suo loco leges generales alicuius actionis sacrae, et postea in locis particularibus non semper repetit legem ipsam.

Infiniti essemus si omnes casus huiusmodi hic referre debuerimus.

Quidquid ergo dicat De Herdt, licet et nos tantum virum plurimi faciamus, qui in casu nimis ad *litteram* Caeremoniale exponit, retinendum est, quod semper faciendae sunt Clero salutationes in Choro, quotiescumque ex lege generali debentur, licet sit praesens Episcopus Ordinarius. Etenim, vel eo praesente numquam faciendae sunt Choro reverentiae, vel semper; nulla enim ratio sufficiens datur pro diversitate in casu.

Doctor Petrus Piacenza.

INSTRUCTIONES

E VARIIS S. C. CAEREMONIALIS DECRETIS DEPROMPTAE

I.

Instructiones pro Cappellanis ornamentariis extra urbem

(*Cappellani d'onore* EXTRA URBEM).

1. Qualitas *Cappellani ornamentarii extra Urbem*, est quaedam simplex honorificentia, propter quam titulus habetur qui vulgo vocatur *Monsignore*, et privilegium ferendi insignia Familiaris summi Pontificis, *extra Romam* tantummodo, et extra civitatem vel locum quemcumque, ubi residet Dom. Papa.

2. Habitus solemnis (*di formalità*) est: *a* vestis talaris violacea (*paonazza*) sine cauda cum manicarum extremitatibus (*paramani*) altis quindecim centimetris, ex serico violaceo, cum ocellis (*asole*), orbiculis (*bottoni*) et orae textu (*orlatura*) pariter ex serico violaceo; *b*) Zona serica violacea latitudinis duodecim centimetrorum, duabus extremitatibus pendentibus a latere sinistro ad quinquaginta centimetra, habentibus flosculos sericos eiusdem coloris; *c*) Pallium talare violaceum (*mantellone*) cum reflexis sericis violaceis latis viginti centimetris; *d*) Collare sericum violaceum; *e*) Caligae nigrae et sandalia cum fibulis; *f*) Pileum ecclesiasticum cum flosculo nigro.

Pannus vestis et pallii est ex lana in hyeme, ex serico in aestate.

3. Habitus privatus seu civilis, est ille qui vulgo dicitur *Pianus,* et est; *a*) Vestis talaris nigra sine cauda, cum orbiculis, ocellis et oris (*orlature*) ex serico violaceo; *b*) Zona serica violacea lata duodecim centimetris, extremitatibus e latere sinistro ad quinquaginta centimetra pendentibus, cum parva lacinia (*frangia*) serica eiusdem coloris; *c*) Amplum pallium (*ferraiolone*) totum nigrum, laneum vel sericum; *d*) Collare ex serico violaceo; *e*) Caligae nigrae et sandalia cum fibulis; *f*) Pileum cum flosculo nigro.

4. Habitus solemnis adhibetur in sacris functionibus; habitus pianus in visitationibus, accademiis et conventibus, ecclesiasticis vel civilibus, solemnibus, aut privatis.

5. *Cappellanus ornamentarius extra urbem,* qui pertinet ad aliquod Capitulum, si vult, tam in Choro, in processionibus, quam in quibuscumque actibus capitularibus, ferre potest vestem talarem et zonam, violaceam, superinduens insignia quibus iure utuntur Capitulares; incedit vero et sedet in loco sibi competenti uti capitularis, absque aliquo iure, propter titulum *Cappellani ornamentarii extra urbem,* ullius praecedentiae, vel usus cuiusvis privilegii Praelatorum proprii, uti ex. gr. palmatoriae, canonis, annuli etc., et semper remanet iurisdictioni proprii Ordinarii subiectus.

6. Ut nomina Cappellanorum huiusmodi inscribantur suo loco in *Annuario Pontificio,* opus est, ut unoquoque anno ante finem mensis Novembris id requiratur a Redactoribus eiusdem *Annuarii* (Roma, Palazzo Vaticano).

7. Cappellanus ornamentarius extra urbem, ob mortem Pontificis qui eum elegit, non amplius pertinet ad hunc coetum honorabilem; ideo ipsi cessat ius gaudendi titulo *Monsignore* et usu vestium ut supra. Vestes huiusmodi vero deponuntur post tumulationem corporis Pontificis.

II.

Instructiones pro Cappellanis intimis ad honorem

(Cappellani segreti d'onore).

1. *Cappellanus intimus ad honorem*, pertinet ad nobilem familiam Summi Pontificis, et gaudet título qui vocatur *Monsignore*.

2. Habitus solemnis (*di formalità*) idem est ut supra pro Cappellanis *extra urbem* n. 2.

3. Habitus privatus seu civilis est idem ut sup. n°. 3.

4. Habitus solemnis et pianus, adhibetur pariter ut supra, n°. 4.

5. Quando in sacris functionibus adest Summus Pontifex in pontificalibus, vel fit adoratio in expositione SS. Sacramenti per turnum in apostolico palatio, supra habitum solemnem (*di formalità*) sine pallio, assumitur Crôcea, seu magna supra vestis lanea rubri coloris cum manicis latis, quae producuntur solummodo usque ad cubitum, cui vesti superimponitur cappa cum caputio, pariter ex lana rubra subsuta ex pellibus ermellineis in hieme, et ex serico rubeo in aestate (*Haec cappa ita super* Croceam *induitur ut dicta subsutura externe appareat*).

6. *Cappellanus intimus ad honorem* qui pertinet ad aliquod Capitulum, iisdem et solis utitur vestibus de quibus supra n. 5 pro Cappellanis *extra Urbem*, sine alio Praelatorum privilegio, et item subiacet iurisdictioni Ordinarii.

7. In sacris functionibus, in quibus adest Summus Pontifex, Cappellani intimi ad honorem, sedent super gradum qui est in continuatione tertii gradus Solii pontificii, per quem ascenditur ad planum ante gradus altaris.

8. Ut nomina Cappellanorum inscribatur in *Annuario*, fiet ut supra pro Cappellanis extra urbem n. 6.

9. Cappellanus intimus, item cessat, ut dictum est pro Cappellanis extra urbem n. 7.

III.

Instructiones pro Cubiculariis intimis adlectis ad numerum *(Camerieri segreti soprannumerarii)* **et pro Cubiculariis honorariis** *(Camerieri d'onore in abito paonazzo).*

1. *Cubicularius intimus adlectus ad numerum,* nec non *Cubicularius honorarius* pertinet ad nobilem familiam Summi Pontificis, et gaudet titulo qui vocatur *Monsignore.*

2. Habitus solemnis (*di formalità*) pro utraque classe huiusmodi Cubiculariorum idem est ut supra pro Cappellanis extra urbem n. 2.

3. Habitus pariter privatus idem est sicut supra pro Cappellanis extra urbem n. 3.

4. Habitus solemnis adhibetur pro servitio anticamerae, in diaetis (*appartamenti*) Pontificis et in sacris functionibus; habitus pianus adhibetur in visitationibus (*ricevimenti*) in academiis et conventibus ecclesiasticis et civilibus tam solemnibus quam privatis.

5. In sacris functionibus, adstante Pontifice in pontificalibus, vel in adoratione SS. Sacramenti per turnum in apostolico palatio, adhibetur *crocea* ut supra pro *cappellanis intimis* n. 4.

6. Cubicularius *intimus,* et Cubicularius *honorarius,* qui pertinet ad aliquod Capitulum, iisdem et solis utitur vestibus de quibus supra n. 5 pro Cappellanis *extra urbem,* sine aliquo praelatorum privilegio, et subiacet Ordinarii iurisdictioni.

7. Cum consociatur Pontifex a suis intimis Cubiculariis ad aliquam aulam seu Cappellam apostolici palatii pro Consistorio aut pro aliqua sacra functione, quando caetus, quem vocant *Anticamera* est *duplex,* duo Cubicularii honorarii, de servitio, incedunt ante duos Cubicularios intimos adlectos ad numerum, item de servitio: aliter Cubicularius intimus et Cubicularius honorarius simul procedunt, sed primus dex-

trorsum. Cum autem proceditur ad consociandum Pontificem in solemnibus functionibus, Cubicularii intimi et Cubicularii honorarii, quibus aliquod particulare servitium non sit commissum a R.mo Praefecto apostolici Cubiculi (*Maestro di Camera*), participant comitatui et antecedunt Pontificem in loco proprio classis respectivae.

8. Pertinet ad Cubicularios intimos et honorarios duodecim intorticia deferre cum Summus Pontifex Benedictionem impertitur cum SS. Sacramento; deferre flabella cum incedit Pontifex in sella gestatoria, et hastas Baldachini in processionibus, in quibus Pontifex SS. Sacramentum pedes sequitur.

9. In sacris functionibus, adstante Summo Pontifice, Cubicularii intimi et honorarii sedent simul in parvis scamnis e regione solii pontificii, in Pontificalibus vero super gradus ipsius solii.

10. Quando intimatur a R.mo Cubiculi Pontificis Praefecto, Cubicularii intimi adlecti ad numerum, et Cubicularii honorarii servitium praestant de *Anticamera*, in diaeta (*appartamento*) Pontificis; quo in casu semper capite discooperto, primi resident in intima anticamera, alteri in anticamera honoraria seu in aula Throni; tam primi quam alteri coadiuvant Cubiculi Praefectum in reddendis honoribus, et detinendis (*trattenere*), quisque in proprio loco, personis qui audientiam Pontificis expectant: nuntia referunt, plicos, res benedicendas ..... Cubicularius honorarius usque ad limina intimae anticamerae, Cubicularius intimus intra ipsam. Viceversa si ab intima anticamera nuntia referunt, plicos, res benedictas.....

11. Ut nomina Cubiculariorum intimorum ad numerum adlectorum, et Cubiculariorum honorariorum inscribantur in *Annuario*, fiet ut supra pro Cappellanis extra urbem n. 6.

12. Cubicularius intimus et honorarius cessat item ut dictum est supra pro Cappellanis extra Urbem n. 7.

N. B. — Omnes ergo Ecclesiastici tam in Urbe, quam extra Urbem, qui *Cappellani* vel *Cubicularii* titulo ditantur, sciant nec *caligas*, nec *mantellettum*, nec *rochettum*, neque *pallium* (ferraiolo), neque cordulas cum flosculis violacei coloris in pileo umquam deferre posse, nisi alia ratione ad haec ius habeant.

APPENDIX

E Secretaria Brevium.

INDULGENTIAE CONCEDUNTUR
RECITANTIBUS OFFICIUM PARVUM SS. CORDIS IESU.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Auspicato contigit ut Christianorum hominum pietas in SS.mum Cor Iesu, quod tanta exarsit in humanum genus charitate, in hac rerum inclinatione morumque demutatione non modo restincta non sit, sed etiam excitetur quotidie magis magisque salutariter deflagret. Hoc enim studium, per quod populus christianus trahitur ad Iesum Christum, et amat quodammodo amorem Eius, cum dignum existimet omni veneratione cultuque suo illud Cor divini amoris receptaculum, Nos et summopere delectat, et in spem optimam inducit futurum esse, ut Deus pacatus sinat aliquando exorari, atque Ecclesiae suae misereatur vices.

Quapropter quum Nobis supplices nuper admotae sint preces a dilecto filio Nostro Benedicto Maria S. R. E. Presb. Cardinali Langénieux ex dispensatione Apostolica Archiepiscopo Rhemen. ut Officium Parvum SS.mi Cordis Iesu, a Nostra Rituum Congregatione recognitum iam atque adprobatum, nonnullis Indulgentis ditare velimus, Nos qui nihil optamus magis atque in oculis habemus, quam ut Christianorum studium erga SS.mum Cor Iesu in dies singulos provehatur, libenter supradicti Antistitis optatis obsecundandum censuimus. Quare Apostolica auctoritate omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus corde saltem contritis, qui

dictum Officium Parvum SS. Cordis Iesu a S. R. C. approbatum vel latine vel lingua vernacula, dummodo versio fidelis et rite probata, devote recitaverint, atque pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint quo die id egerint ducentos dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas poenitentiarum relaxationes etiam animabus christifidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse in Domino indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus valituris in perpetuum. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae, utque praesentium Litterarum (quod nisi fiat nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur, iuxta decretum ab eadem Cong.ne die XIX Ianuarii MDCCLVI latum et a s. m. Benedicto PP. XIV Decessore Nostro die XXVIII dicti mensis approbatum.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die XII Decembris MDCCCCI, Pontificatus Nostri Anno XXIV.

ALOIS. Card. MACCHI.

IMPRIMATUR
P. Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
IOSEPH CEPPETELLI, Archiepiscopus Myren., Vicesgerens

PROPRIETAS LITERARIA.

Romae. 1902. - Typ. Bodoniana R. Alderighi, Hosp. vulgo "Tata Giovanni", *Piazza del Biscione, 95.*